Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Jakob Rambach

Dissertatio Theologica Inavgvralis Qva Pellis Ovina Socinianis Detracta Sistitvr

Halae: In Officina Orphonotrophii, A. D. XXVIII. Ivnii, MDCCXXXI

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0001
DFG

Fg – 1837. 1.2.

3.f.50.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0002
DFG

Ex animo ago gratias de facta mecum
jucundissimarum doctrinarum communi-
catione, benevolentiae Tuae me porro
commendo, et laboribus Tuis in dies majo-
rem laetiorem, precor successum.
Tibi, praestantissime Rp. gratulor de
edito profectuum tuorum specimine, ~~et~~
atque ex animo opto, ut ~~codex ille~~
Sacra Scriptura, ~~circa~~ in qua versata
est haec exercitatio, Tibi per totam
vitam sit liber ~~fa~~ maxime familiaris,
animus vitae Tuae ejus expressa
effigies, ac maxime per os Tuum se exse-
rat, ut instrumentum efficacissimum
ad fructus ~~edens~~ ferendos, qui ~~in~~ aeter-
num durant!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0004
DFG

Grato animo ~~accipio~~ benevolam exci-
pio invitationem. Equidem meo erga Te
studio non parum repugnare videbatur, tibi
vel in speciem contradicere, et tecum
quasi descendere in arenam. Sed non
potui non, quod ~~am~~ a me tam amice postula-
bar, officium obsequenter subire. ~~Rogo~~ Obsecro, ut
quae prolaturus sum, benevole suscipiantur.
Te, quoque, proclamatissime respondens, ~~[illegible]~~
rogatum volo, ut, quae allaturus sum
argumenta, in mutuae exercitationis
materiam convertere haud dedignetur

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0006
DFG

Vir summe venerande, et excellentissime
omni honore prosequende fautor,

Grato animo benevolam excipio invitationem,
quam quidem, si res passa esset, libenter omni
cum molestia detrectassem. Ut alia silentio
praeteream, mea erga te veneration teneroq;
amoris affectui valde repugnat, tibi vel in
speciem contradicere, et tecum graui descendere
in aream. Nihilominus cum ultimum
proh dolor! hoc esset officium, quod a me
amicissime postulabas, id non potui non
obsequentissime subire. Ita tamen tecum
agam, sicut reverentia amorique praecipiunt
iura: quod, ut, salua veritate, facere possim,
solicitissimi scripti tui facit perfectio.

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensi

Maior. Eine Meinung, welche an sich nicht ungereimt, in keiner Absicht wahrhaftig widersprechend, und auf die gewöhnlichste Bedeutung der Worte des Schriftstellers, durch welchen sie bekant gemacht worden, gegründet ist, ist einer andern die von der gewönlichsten Bedeutung der Worte abgehet, vorzuziehen. A. E.

DISSERTATIO THEOLOGICA
INAVGVRALIS
QVA

PELLIS OVINA SOCINIANIS DETRACTA SISTITVR.

QVAM,
PRO GRADV DOCTORIS
RITE OBTINENDO,
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET

IOAN. IACOBVS RAMBACH,
HACTENVS
S. S. THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIVS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
NVNC DESIGNATVS
PROFESSOR THEOLOGIAE PRIMARIVS
IN ACADEMIA GIESSENSI, IBIDEMQVE SVPERINTENDENS
PRIMVS, ET SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSOR.

A. D. XXVIII. IVNII, MDCCXXXI.

HALAE, IN OFFICINA ORPHANOTROPHII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0009
DFG

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensi

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0010
DFG

SVMME VENERABILI
THEOLOGORVM
IN ACADEMIA GIESSENSI
ORDINI,
VIRIS
SVMME REVERENDIS, AMPLISSIMIS atq; DOCTISSIMIS,
DOMINO
IOANNI GEORGIO LIEBKNECHT,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,
EIVSDEMQVE ET MATHESEOS PROFESSORI
PVBLICO ORDINARIO, DISTRICTVS MARBVRGO - DARMSTADINI SVPERINTENDENTI, STIPENDIATORVM PRINCIP. EPHORO, ET ACADEMIAE
GIESSENSIS SENIORI
GRAVISSIMO;

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0011
DFG

DOMINO
REINHARDO HENRICO ROLLIO,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI AC PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO, ET DISTRICTVS ALSFELDENSIS SVPERINTENDENTI MERITISSIMO;

DOMINO
IOANNI CONRADO ARNOLDI,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI EIVSDEMQVE PROFESSORI ORDINARIO CELEBERRIMO, NEC NON ACADEMIAE BIBLIOTHECARIO;
CATHEDRAE THEOLOGICAE IN ACADEMIA LVDOVICIANA ORNAMENTIS,
FVTVRIS SVIS COLLEGIS ATQVE FAVTORIBVS OMNI OFFICIORVM GENERE PROSEQVENDIS,
HANC DISSERTATIONEM THEOLOGICAM INAVGVRALEM
EA, QVA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA
D. D.
IO. IACOBVS RAMBACH.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0012
DFG

VIRI SVMME VENERANDI



Diuina sic prouidente sapientia, a Sereniſſimo VESTRAE academiæ NVTRITORE, e ſtatione mea euocatus, VESTROQVE Collegio clementiſſima vocatione adſcriptus, nihil mihi prius faciendum putaui, quam vt & VESTRAM mihi amicitiam conciliarem, & mei erga vos adfectus præuium quoddam pignus exhiberem. Commodum igitur accidit, vt ante meum ex hac academia diſceſſum doctoralis dignitatis ſuſceptio quandam mihi neceſſitatem imponeret, publicum ſpecimen edendi; quod cui potius, quam VOBIS, inſcriberem, inuenire potui neminem.

Accipite igitur VIRI, multis nomini-

bus VENERANDI, hanc animi vobis deditissimi qualemcumque tesseram beneuola & mente & manu, eumque, qui VESTRVM amorem omni studio ambit, voti tam honesti compotem quæso reddite. Quid enim magis aut DEO hominibusque iucundum, aut publici commodi caussa exoptandum esse potest, quam illos, qui labores suos in docenda iuuentute academica coniungunt, animis quoque esse tam coniunctos, tamque caritatis vinculo colligatos, vt, sine inuidia discordiaque, tamquam vnius Domini fideles serui, in obeundis eius negotiis amice conspirent. Mihi certe vti pace concordiaque nihil sanctius est, nihil pretiosius; ita vix quidquam optabilius contingere poterit, quam in ea colenda si mutua voluntatum consensione inter nos conueniatur.

De me id velim persuasum habeatis, VIRI VENERANDI, me nihil esse intermissurum, quo meam vestris commodis inseruiendi alacritatem testari queam. Vix enim glorioſiorem arbitror esse conflictum, quam si ii maxime, quos eiusdem collegii socie-

ſocietas coniunxit, omni officiorum genere inter ſe certent, ad fraternum mutuumque amorem procliues, honore alius alium præuenientes. Si quid igitur acciderit, in quo opera mea VOBIS aut vſui aut ornamento eſſe poſſit; ne veri amici partibus defuiſſe videar, diligentiſſime mihi enitendum putabo.

Ceterum me & puræ doctrinæ tenaciſſimum, & vitæ ad verbi diuini normam componendæ ſtudioſiſſimum, quin & admonitionum, ſicubi humanæ infirmitatis vitio a me erratum fuerit, patientiſſimum ſemper inuenietis. DEI enim auxilio, ſine quo nihil poſſum, ſuffultus, omni virium contentione adlaborabo, vt ſancto illo connubio, quo DEVS doctrinæ puritati morum ſanctimoniam iunctam eſſe voluit, intemerate ſeruato, non verbis me ſolum, ſed factis etiam theologum præſtem, atque muneribus grauiſſimis, a Sereniſſimo PATRIAE PATRE mihi demandatis, ita perfungar, vt, impetrata propter Chriſtum mediatorem imbecillitatum venia, rationem reddere DEO alacriter aliquando poſſim. Neque

que vero dubito, huc vos quoque, VIRI AMPLISSIMI, VESTRAS cogitationes curasque VESTRAS & hactenus contulisse, & in posterum quoque esse collaturos.

Quod supereſt, supremum NVMEN, quod academiæ Ludovicianæ præstantissimos olim doctores theologos dedit, quorum & cineres veneror, & vestigia e longinquo admiror magis, quam assequor, abundantissimo charismatum cumulo vos, VIRI SVMME REVERENDI, ornet, suumque spiritum, spiritum illum sapientiæ ac prudentiæ, consilii & fortitudinis, cognitionis ac reuerentiæ Domini, tam largiter copioseque ex Christi plenitudine in vos effundat, vt ex ore calamoque VESTRO fluant aquæ perennis flumina, e quibus innumeri iuuenes, ecclesiæ ministerio consecrati, saluberrimas haurire doctrinas sitimque restinguere affatim possint. Ita valete, VIRI VENERANDI, mihique, propediem apud vos adfuturo, fauete. Dabam ex academia Fridericiana, d. XXVI. Iunii,

M DCC XXXI.

DIS-

DISSERTATIONIS PROOEMIVM, QVO INSTITVTI RATIO EXPONITVR.

SYNOPSIS.

Indoles prauorum hominum, bona specie se ornantium, §. I. in Arianis *olim conspecta, §. II. in* Socinianis *etiam deprehenditur, §. III. in lucem & examen hac disputatione protrahenda, §. IV.*

§. I.

EA est mortalium prauitas, vt, mali quum sint, boni tamen, quin multis aliis meliores, videri velint. Hinc, philautiæ instinctu, pudendam errorum vitiorumque suorum turpitudinem egregia specie obtegere, iisque colorem aliquem veritatis atque integritatis inducere, diligentissime conantur. *

* Hinc PAVLVS eos, qui a veritate recedunt 1 Tim IV, 2. describit, tamquam homines ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγȣς, & 2 Tim. III, 2. tamquam φιλαύτȣς, v. 5. ἔχοντας μόρφωσιν εὐσεβείας. PETRVS iis πλαςȣ̀ς λόγȣς tribuit 2 epist. II, 3. Sanctissimus SERVATOR eos venturos dicit ἐν ἐνδύμασι προβάτων,

1. Primum forte circa ipsum titulum, cum tractatione collatum, dubia quædam alicui oboriantur.

1. Consideremus primo loco vocem Socinianorum.

hæc in titulo universaliter, in tractatione particulariter accipitur.

diversus vero hujus vocis usus iniuriam quandam, ut ita dicam, Socinianis inferre videtur.

ostendam primo diversum illum usum. deinde docebo, quam inde in Socinianos putem redundare iniuriam.

A. usus diversus

a. in titulo

sine dubio illos omnes comprehendis sub hac voce, quos Sociniani pro membris sui sacri coetus habent.

omnes a Socinianis existimantur Sociniani s. unitarii, qui, reiecta personarum divinarum pluralitate, unum summum esse deum credunt.

in ouium habitu, quum intus & in cute sint *lupi* rapaces, Matth. VII, 15. Isthoc vero *vestitu ouium* ea omnia designantur, quibus seductores efficere studeant, vt veri doctores videantur, quibusque veritatis testes imitari, ac sibi apud gregem imperitum veræ doctrinæ opinionem conciliare solent: qualia sunt frequens scripturæ sacræ allegatio, feruor in aliorum vitiis erroribusque reprehendendis, zelus pro diuina gloria, quam se doctrinis suis asserturos spondent, verborum χρηστολογία, (quam, iudice LYSERO, in *harm. euang.* ad h.l. mollior pellis ouinæ lana denotare potest) iactantia vberioris cognitionis, a Patre luminum liberalius concessæ, virtutum naturalium species, externa vitæ honestas, moderatio mentis ac linguæ, iactatus antiquitatis consensus, vexationum toleratarum ostentatio, & quæ reliqua sunt fraudum instrumenta.

§. II.

Maxime hæc indoles obseruata fuit in iis, qui olim, ARIO duce, summam æternamque Filii diuinitatem ferocientis ingenii armis oppugnauere. Eos enim speciosam subinde laruam, ad alios decipiendos fraudulenter compositam, induisse, historiæ ecclesiasticæ monumenta produnt. *

* Ad *pelles ouinas*, quibus ARIVS, Alexandrinæ ecclesiæ seculo quarto presbyter, eiusque sectatores, suos errores palliare, suæque doctrinæ aliorum existimationem atque adplausum conciliare conabantur, referri possunt momenta sequentia, ex SVLPICII in primis SEVERI historia ecclesiastica a nobis collecta:

I. *Incusatio orthodoxorum*, quasi illorum hypotheses *Sabellianismi* venenum continerent, quod se detestari profitebantur, teste SVLPICIO *hist. eccles. lib. II. c. 42.*

II. *Ora-*

II. *Orationes inuectiuæ in Athanasii* aliorumque, qui a partibus veritatis stabant, episcoporum *vitia*, quæ longa serie siue consingere, siue recensere, mendacibusque rumoribus disseminare solebant. vid. SVLPICIVS *c. 36.* THEODORITVS *hist. eccl. lib. I. c. 26.*

III. *Simulatus cum orthodoxis consensus*, quem, iure iurando interposito, Constantinopoli coram imperatore Arius testabatur, alacri animo eis subscribens, quæ de fide in concilio Nicæno statuta fuerant, vt SOCRATES refert *hist. eccles. lib. I. c. 38.* quod eius etiam asseclæ imitabantur, de quibus SVLPICIVS *hist. eccles. lib. II. c. 40. Quin etiam Synodum Nicænam pro se interpretantes, quam vnius literæ adiectione corruperant, caliginem quandam iniecerant veritati.*

IV. *Fraudulenta confessionum varietas*, qua genuinam suam mentem occultabant. Breui enim tempore, ATHANASIO teste, *vndecim* discrepantes Arianorum formulas fidei orbis christianus videbat. *Nouem* enumerat SOCRATES *hist. eccl. lib. II. c. 41.* qui λαβύρινθον τῶν ἐκθέσεων, *labyrinthum expositionum fidei* adpellat.

V. *Dissimulatio suæ doctrinæ*, eiusdemque artificiosa *involutio*, de qua SVLPICIVS *lib. II. c. 37. Ea tempestate Ariani perfidiam suam occultabant, non ausi palam errorus sui dogmata prædicare: catholicos se gerebant.* Et cap. 43. *Eiusdem conscriptam ab improbis fidem*, (hoc est, fidei formulam) *tradit verbis fallentibus inuolutam, quæ catholicam disciplinam, latente perfidia, loqueretur.*

VI. *Fictæ reuelationes, angelorumque adparitiones*, quas *Valens*, episcopus Arianorum, mentitus esse legitur apud SVLPICIVM *c. 38.* Et THEODORITVS *hist. eccl. lib. I. c. 4.* Arianorum arrogantiam perstringens, narrat, eos dictitasse, se *per reuelationem* talia esse edoctos, quæ nulli vnquam hominum in mentem venerint.

VII. *Bellum vocabulis, vsu biblico non comprobatis, indictum.* Sic ἐσίας *verbum, tamquam ambiguum, & temere a patribus vsitatum, neque ex auctoritate scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebant, ne vnius cum patre substantiæ filius crederetur;* teste SVLPICIO *c. 43.*

VIII. *Veneni sui per sacra cantica,* in vsum nauigantium ac laborantium composita, *insinuatio,* quorum ἀσματίων Arii meminit ATHANASIVS, de Synodi Nicænæ decretis *tom. I. p. 264.* & PHOTIVS in *excerptis e Philostorgio.*

IX. *Emollitio duriorum locutionum,* quibus aliæ leniores quidem, sed ambiguæ, substituebantur. Sic de *Valente* SVLPICIVS *c. 44. Tum Valens subiecit sententiam, cui inerat occultus dolus: Filium Dei non esse creaturam, sicut ceteras creaturas; fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse ceteris creaturis filius negabatur, creatura tamen, potior tantum ceteris, pronuntiabatur.*

X. *Species humilitatis in Ario,* quam *vultu gracilento tenuique vestitu* præ se ferebat, qua fastum tegebat philosophicum, & ferociam rationis, quæ luminis diuini expers, argumentorum tela, a dialectica subministrata, in mysterium Iesu Christi, quod capere non poterat, vibrabat. conf. EPIPHANIVS *hæresi LXIX. §. 3.*

XI. *Affectatio nominis christiani, quasi sibi solis proprii,* dum aduersarios interim suos Montanistas, Sabellianos, hæreticos, immo infideles dicebant, eosque, ad sua castra transgressos, denuo baptizabant; vt ipse CHRISTOPH. SANDIVS docet in *nucleo hist. eccl. p. 140.* Conf. SOZOMENI *hist. eccl. lib. VI. c. 26.*

XII. *Prouocatio ad doctores antiquiores,* incautius nonnunquam locutos, *ipsumque Christum, eiusque apostolos, quasi secum prorsus consentientes.* Vnde ARIVS in symbolo suo ait, *se fidem a maioribus suis accepisse;* vti contra Athanasium

nasium, ceterosque concilii Nicæni patres, accusabat, quod apostolicam fidem *nouorum* adiectione verborum corruperint, illosque doctores feralibus relegandos edictis censuerint, qui *antiquis* Patrum doctrinis inhæsissent. Ceterum Arianos apud imperitam quidem plebem fidem a patribus traditam iactitasse; in disputatione autem pressos, veterum iudicium atque auctoritatem prorsus declinasse, obseruante GE. BVLLO, in *epilogo defensionis fidei Nicænæ*, constat ex SOCRATIS *hist. eccl. lib. V. c. 10.* En duodecim glaucomata Ariana, ad animos simplices fascinandos satis idonea.

§. III.

Eadem indoles in iis conspicitur, qui, duce FAVSTO SOCINO, homine arrogante & callido,* in religionis christianæ mysteria impudenter grassantes, omnem ingenii aciem ad veram æternamque Iesu Christi diuinitatem oppugnandam conuertunt.** Quo enim turpius est doctrinæ ipsorum systema, *** eo magis indiget velamentis, vnde tandem cumque conquisitis.

* Natus est FAVSTVS iste SOCINVS anno MDXXXIX in agri Florentini vrbe, *Siena*, primosque vitæ suæ annos partim in otio literario, partim in aula Florentina transegit. Hac anno ætatis XXXV. relicta, Basileam se contulit, vbi patrui sui, LAELII SOCINI scriptis, quæ hæreditatis iure acceperat, adiutus, nouum cudere theologiæ systema cœpit, variosque aduersarios nactus, erroribus suis defendendis, passimque, maxime tamen in Transsyluania & Polonia, propagandis, reliquum vitæ tempus impendit, vsque dum MDCIV. anno ætatis LXV. ad tribunal Iesu Christi, cuius honorem suis doctrinis violauerat, raperetur, multa scripto-

rum farragine orbi relicta, quæ tomum primum *bibliothecæ fratrum Polonorum* constituunt, quæ sex tomis maioribus anno MDCLXVIII. & sequentibus Irenopoli, hoc est, Amstelodami, prodiit.

Non deerat isti viro ingenium excitatum, memoriæ felicitate suffultum, & ad studia & meditationes aptum; quamuis in literis, ad quas paullo serius accesserat, non eos progressus fecerit, quos fecerat patruus eius, *Lælius Socinus*. Virtutes eius naturales, ex temperie *sanguineo-colerica* efflorescentes, multis animi vitiis permixtæ erant. Non potest eques ille Polonus, qui vitam panegyrico stilo conscripsit, SAMVEL scilicet PRZIPCOVIVS, diffiteri, præcipitem illum ad bilem natura fuisse, vehementibusque animi motibus illius indolem æstuasse. Ipsi eius amici largo passim sale perfricant eius *φιλαυτίαν*, spiritusque altiores. MARCELLVS SQVARCIALVPPVS, in *epist. Nimis magna est*, inquit, *alacritas tua, mi Socine. Quum tibi quid in animum venit, quum decernis, illico ad opus adgrederis, & acumine tuo illo, feruidoque studio tum veri, tum laudis abreptus, & scribis & publicas tuos libros. Quid quæso magis cauendum est, amore sui ipsius? At nimium sibi placet ille, qui grauissima quum tractet argumenta, suos labores tam facile publicat. Quoties te volui admonere disputantem, vel de re leui iurgantem, & clamoribus maximis omnia perturbantem. Arridet palato tuo aculei mortiferi, & execrandi in Christi ecclesia. Noui tuas insignes animi, & linguæ, & calami dotes. Vnum in te desideramus, vt minus tibi blandiare. Maledicentia in tuo volumine aduersus Palæologum cunctis adparet. Maledicentiam autem animus parit maleuolus. Promtuarium omnium virtutum scis esse modestiam. Neque tu cessas in aliis, & recte sane, modestiæ dignitatem laudare, vrgere. Caue, SOCINE, vt ne te crimine illo condemnemus, quod*

quod minime in te cadere tibi ſuades. Vide SOCINI *oper. tom. I. p. 359.* Hæc non hoſtis ſcripſit, ſed, vt ſe ipſum MARCELLVS vocat, *amicus & frater, Socini obſeruantiſſimus;* ex quibus ſatis Socini arrogantia, rixandi ſtudio, pertinaciaque, & aliis vitiis ſtipata, perſpicitur, qui in reſponſione fateri cogitur *p. 367.* id ab aliis quoque nonnullis in ſe eſſe deſideratum, & miſeris excuſationibus iſtam obiectionem depellere ſtudet. Quam *callide* apertiſſima ſcripturæ teſtimonia eneruare, peregrinamque iis mentem adfingere didicerit, ſcripta eius vbique loquuntur. Vera dixit amicus & aſſecla eius IO. NIEMOIOVIVS: *Nihil poteſt tam bene ac iuſte adduci, quod SOCINVS non in ſuas partes trahere conetur.*

Non veretur equidem Socini laudator, eques Polonus, longe ipſum anteponere noſtro LVTHERO. At enim vero alius vir erat Lutherus, quam Socinus. Educatus ille erat in ſchola crucis, non inter molles aulæ delicias. Expertus ille erat, quid ſit certamen pœnitentiæ ac fidei, omnibusque laboribus ſuis hunc vnum finem præfixerat, vt Ieſu Chriſti gloriam amplificaret, in qua extenuanda per triginta annos Socinus totus laborauit; id vnum ambiens atque agens, vt caput & anteſignanus nouæ ſectæ haberetur. Spiritum ſanctum in ipſo habitaſſe; id vero nullis indiciis conſtat. Hominem ψυχικὸν fuiſſe, φίλαυτον, arrogantulum, temerarium, pertinacem, ſcepticum, ratiocinia ſua verbo Dei præferentem, omnia loquuntur.

** Volunt equidem nonnumquam videri Sociniani, ſe Ieſum Chriſtum *pro vero Deo,* non nudo homine, habere. Satis procaciter OSTORODVS, in *apologia ad ordines Hollandiæ: Vndenam eſt illa theologorum veſtrorum audacia, qua vobis, illuſtriſſimi Ordines, imponere ſtudent ac perſuadere, nos deitatem filii Dei abnegare? Nos vero non veram, ſed falſam*

NB.

V. tenſus eorum de divinitate Christi non plene accipitur.

p. 9.

Qui dicit, Socinianos tantum ratione dignitatis, honorū, ac potestatis Christo quandam tribuere divinitatem, is mentem eorum non satis exprimit.

vox Elohim ita usurpatur, et Christus ita exponit

interdum abnegant xpto aliam naturā sed explica

falsam tantum ac fictam filii Dei deitatem negamus. Similiter FAVSTVS SOCINVS, in *refutatione Wujecki: Nemo nostrum negat, Christum esse verum Deum.* Sed glaucomata imperitis offundi, satis testatur publica illorum hominum confessio, quam in *catechismo Racouiensi* de Christo edunt. Quamuis enim p. 46. (edit. Stauropolitanæ, an. MDCLXXXIV.) negent, *Iesum esse purum*, hoc est, *vulgarem hominem*, mox tamen p. 48. ad quæstionem: *Sed an præter humanam Christi naturam non agnoscis etiam in eo diuinam?* diserte respondent: *Siquidem hoc loco naturæ diuinæ nomine ipsam Dei essentiam intelligimus, non agnoscimus hoc sensu diuinam in Christo naturam: quum id non solum rationi sanæ, verum etiam diuinis literis repugnet.* Et OSTORODVS *instit. cap. VI. §. 2. So glauben wir nun nicht, daß in Christo neben der menschlichen Natur noch eine andere sey, nemlich eine göttliche Natur.* Et §. 7. *So halten wir es denn dafür, daß die Essentia oder das Wesen des Sohnes Gottes nichts anders, denn eines Menschen essentia gewesen, und wissen von keiner anandern Essentia oder Natur in ihm. Nur das bekennen wir, daß er einen andern Anfang gehabt, als alle andre Menschen, das ist, daß er nicht von einem Manne, sondern von GOtt selber, seinen Anfang und Herkommen bekommen hat; sintemal ihn die Jungfrau Maria vom heiligen Geist, das ist, durch die Kraft Gottes, empfangen hat.* Edit. germ. quæ Racouiæ 1612. excusa est, *p. 40. 48.* Qui vero fieri potest, vt eum pro vero Deo habeant, quem ante annos demum MDCCXXXI quum ex Maria nasceretur, totum existendi initium cepisse adfirmant. FAVSTVS SOCINVS in *animad. ad assert. theolog. collegii Posnanensis de trino & vno DEO, operum* tom. II. p. 424. *Quis dubitauerit, quin Christus ante virginem Mariam minime extiterit, quum ex ipsa virgine sit natus, & quum ipsa virgo eius mater fuerit? Annon* (homo profanus addit)

istud

istud stultissimum Homericum Margitem imitari esset, qui ambigebat, vter natu grandior esset, ipse, an mater ipsius? Ibidem *p. 423.* hanc de Iesu Christi diuinitate sententiam iudex ille effutiit: *Non patrem tantum Domini nostri Iesu Christi esse illum vnum verum DEVM, sed filium quoque ipsum, & spiritum sanctum, est error, quo nihil vel absurdius, vel impossibilius excogitari, aut ab antichristi spiritu in Christi ecclesiam introduci potuit.* Quando igitur Christo *veri Dei* titulum dicis caussa concedunt, per *Deum* non intelligunt eum, qui habet naturam atque essentiam diuinam, quam Christo penitus abrogant; sed qui a summo Deo diuinas siue egregias dotes, eminentemque & humana maiorem accepit potestatem. Conf. *Catech. Rac. p. 32.* Adeoque Deum nobis obtrudunt, non natura talem, sed ratione dignitatis ac potestatis sic dictum; non æternum, sed in tempore ad diuinitatis honores euectum. Non igitur iniuria fit istis hominibus, si accusantur, quod Christo veræ æternæque diuinitatis gloriam ereptum eant.

*** Socinianismus, vel, vt alii malunt, *Socinismus* nihil aliud est, quam *naturalismus, christiano nomine fraudulenter incrustatus.* Quum enim mysteria omnia ex religionis ambitu proscribat; nihil ad credendum relinquitur, quod ratio sibi relicta excogitare, vel saltem capere non possit, vt obseruat B. IO. FRANC. BVDDEVS, in der *Einleitung zu den Religions-Streitigkeiten p. 570.* & VEN. ZELTNERVS, in *hist. Crypto-Socinismi p 984. Socinismus*, inquit, *vel tandem in naturalismum desinit, exemplo Christi vtcumque, & ad modum Socraticæ disciplinæ, dilutum.* Quod si igitur ritus quosdam externos illi demas, parum differt a Muhammedanismo; vti pluribus demonstrat cel. LA CROZE dans *les dissertations historiques tom. I. p. 1. seqq.* Exonerant se in

hoc errorum pelagus veterum & *Photinianorum* de Christo & *Pelagianorum* de natura ac gratia errores. 10. AMOS COMENIVS Sociniſtas vocat *populum ex verbi Dei ſemine, & ratione carnali, & philoſophia gentili, adultera & inceſtuoſa mixtura, prognatum*; in præfat. ad refut. *irenici irenicorum*, a ZWICKERO vulgati. Quumque gloriam DEI hæc religio obſcuret, ſinceræque pietatis ſtudium labefactet, veræ denique conſolationis fundamenta omnia euertat, ſuo quodam iure chriſtianorum omnium abominationem meretur; vti fuſius oſtendit 10. GERHARDVS *diſputationum theol. part. I. & II.* Errores Socinianorum circa ſalutis fundamentum & ordinem poſt alios ſuccincte exhibet & confutat ven. IOACH. LANGIVS, *cauſſæ Dei tom. III. p. 798-984.*

§. IV.

Operæ igitur pretium erit iſta turpitudinis Socinianæ paludamenta *retegere*, multiplicemque illam pellem ouinam,* qua decipiuntur incautiores, eius admiratoribus *detrahere*: quod vt in præſidium veritatis, multorumque ab hoc contagio præſeruationem cedat, Deus ter optimus largiatur.

* Titulum diſſertationis, quæ *pellem ouinam Socinianis detractam* exhibet, ex verbis quidem Chriſti Matth. VII, 15. decerpſimus. Simul tamen ob oculos nobis verſatus eſt ſimilis tituli liber incomparabilis theologi NICOL. HVNNII, *Pellis ouina Romanæ eccleſiæ detracta*; nec non iudicium præſtantiſſimi viri, BALTH. MEISNERI, in *breui conſideratione theol. Photinianæ p. 903. Si vlla hæreſis ouina pelle fuit induta, profecto eſt Sociniana.*

Non

VII. chamier p. 100

Non ſuperuacaneam vero hoc tempore hanc eſſe tractationem, facile concedet, quisquis conſideraverit, 1) In multorum adhuc manibus verſari veterum Socinianorum libros, & a curioſis ingeniis auidius, quam par eſt, legi; 2) Recentia quoque ſcripta, Sociniano Arianoue tincta veneno, in ipſa Germania noſtra, Germanico conſcripta ſermone, paſſim ſpargi, quorum ex parte notitiam *das Berliniſche Hebopfer* ſuppeditare poteſt; 3) Eos, qui hodie eccleſiæ euangelicæ doctrinam de *Diuinitate* & *Satisfactione* Chriſti hoſtiliter oppugnant, eadem plerumque pelle ouina indutos incedere, ac fucum ἀσπείκτοις facere, qua veteres Sociniani in decipiendis hominibus vſi ſunt; 4) Hodienum haud paucos Socini aſſeclas ſub prophetantium, collegiatorum, Mennoniſtarum ac remonſtrantium nomine in Belgio, (atque vtinam non etiam extra Belgium, ſub politico quoque habitu!) deliteſcere. Conf. ven. GVST. GE. ZELTNERI *hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini*, p. 178. & GISB. VOETII *notitiam latentis hæreſeos Antitrinitariæ in Batauia*, in *diſp. ſel. part. III. p. 809.*

In duas autem ſectiones totam tractationem diſpeſcemus. Prima ſectione pellis ouina, qua ſe Sociniani tegunt, *detegetur*; altera *detrahetur*. Bene autem fecerit Lector, ſi primum primæ ſectionis paragraphum cum primo ſecundæ ſectionis paragrapho, ſecundum cum ſecundo, tertium cum tertio, & ſic porro, diligenter curioſeque contulerit.

SECTIO I.
PELLIS OVINA SOCINIANORUM DETECTA.

SYNOPSIS.

Ad pellem ouinam Socinianorum refertur:
I. Zelus eorum pro vnius Dei gloria, §. I.
II. Querelæ de corrupto euangelicarum ecclesiarum statu, cum iactantia de suo statu puriore coniunctæ, §. II.
III. Amor sacræ Scripturæ, variis modis proditus, §. III.
IV. Odium aduersus humanas fidei formulas atque symbola, §. IV.
V. Auersatio pontificiæ ecclesiæ ac doctrinæ, §. V.
VI. Simplicitas fidei, verbis scripturæ contenta, §. VI.
VII. Detrectatio cognomentorum humanorum, §. VII.
VIII. Amoris libertatisque conscientiarum encomia, §. VIII.
IX. Studium, dissentientes in fide Christianos, quin & infideles, reconciliandi, §. IX.
X. Consensus cum doctrina ecclesiæ primitiuæ & euangelicæ iactatus, §. X.
XI. Schema honestatis sanctitatisque externæ, §. XI.
XII. Persecutionum martyriorumque toleratorum ostentatio, §. XII.

§. I.

INter præstigias illas, quibus incautos SOCINI asseclæ circumueniunt, eminet *Zelus*, quo *pro vnius DEI Patris gloria* prorsus inflammati videntur. Hanc enim vti nostra de Trinitate doctrina insigniter obscurari clamitant; * ita suis hypothesibus mirum in modum illustrari contendunt. **

* Auctores *catechismi Racov. ed. 1684. p. 38. Opinio aduersæ partis* GLORIAM VNIVS DEI, *qui tantum pater Christi est,* OBSCVRAT, *dum eam ad alium, qui pater non sit, transfert.* Et p. 141. *Contraria sententia*, quæ Christo diuinam naturam tribuit, *Dei gloriam vehementer obscurat. Eo quod*

IIX. de Symbolo Nicæno. p. 74.

quod non tantum gloria vnius Dei, quæ soli Patri debetur, ad alium transfertur; verum etiam, quod Deus ea gloria priuetur, quam in Iesu Christo exaltando quæsiuit. VAL. SMALZIVS, in refut. libri Smigleciani de satisfact. p. 174. *Omnis gloria Dei perit, si, ab alio motus, offensam deposuit.* Idem in *dedicatione* refutationis thesium Franzianarum ad acad. Witteb. *Agitur vera Dei illius summi & Iesu Christi gloria: agitur nostra omnium æterna salus; quarum illa per ea, quæ nos in confessione vestra impugnamus, vehementer & multipliciter obscurari, nobis hactenus videtur.*

** Sic VAL. SMALZIVS in *refut. thesium Franzii* de se suisque sociis glorioſe iactitat, p. 9. *Quos hæreticos, proclamat* FRANZIVS, *illi non christianæ religionis fundamentum solidum loco suo mouere & penitus subruere magno zelo laborant; sed cassum illud & otiosum ædificium, quod hactenus pro fundamento fuit habitum, concutere non tantum laborant, sed iam bona ex parte concusserunt; & eorum opera Deus, alto suo consilio, quidquid ad cognitionem Dei & Iesu Christi veram aliunde assutum est, vniuerso mundo patefaciet, vt nemo in carne glorietur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Propediem exsibilabitur ista absurdissima simul & falsissima de Dei essentia opinio. Prope est, quum inter omnes obtinebit* VNIVS DEI PATRIS *& Iesu Christi filii Dei, nati ex virgine Maria,* GLORIA, *& denuo solus Deus pater, & Iesus Nazarenus, solemnibus gratiarum actionibus in omnibus ecclesiis celebrabuntur.* Similiter HIERON. MOSCOROVIVS, in *dedicacione catechismi Racov.* ad Iacobum Britanniæ regem, suum catechismum iis adnumerat scriptis, *quæ Dei* GLORIAM *& Christi Domini nostri honorem, ab omni traditionum humanarum labe repurgare nituntur.*

Hæc taliaque qui in scriptis Socinianorum legit, facile,

cile, si credulus sit, sibi persuadet, vniuersam illorum hominum doctrinam in gloria diuina illustranda versari, omnesque eorum conatus in hunc vltimum finem esse intentos. Dei vero gloriam qui sibi curæ cordique esse profitetur, eiusque ægre fert obscurationem, facile hanc aliis iniicit cogitationem, se genuinis Dei cultoribus esse accensendum, quorum hæc indoles est, vt omnia agant ad gloriam Dei, 1 Cor. X, 31. Phil. I, 11.

§. II.

Multas porro libris suis immiscent *querelas de corrupto cœtuum euangelicorum statu*, de tristi sacræ disciplinæ, qua improbi coërceantur, exilio, de ingenti in studio pietatis frigore, deque aliis, qui puriorem ecclesiam deformant, nævis; * quos a suis cœtibus abesse, arrogantissime gloriantur, morumque & doctrinam & disciplinam iactitant seueriorem. **

* Auctor *colloquii de Trinitate*, anno MDCLXXXII. vulgati, multa queritur de *auaritia* eorum, quibus ecclesiæ euangelicæ docendæ cura demandata est, deque pudendis sceleribus, quibus ii, qui studiis operam nauant, & in spem ecclesiæ ac reipublicæ adolescunt, academias commaculare solent; quas querelas, satyrico passim sale consperſas, excerpsit GOD. ARNOLDVS, in der *Kirchen-und Ketzer-Hist. Sec. XVII. c. 13. p. 1045.* ed. in forma quarta excusæ. Sed dudum ea in re ipsi præiuerat FAVSTVS SOCINVS in libro: *Quod Poloniæ & Lithuaniæ homines, vulgo Euangelici dicti, qui solidæ pietatis sunt studiosi, omnino debeant se illorum cœtui adiungere, qui in iisdem locis immerito Ariani*

ni

IX. Candelum. p. 21.

ni vocantur. Ibi enim in *adpendice*, operum SOCINI tom. I. p. 705. *In vniuerſo*, inquit, *cœtu euangelicorum* (in Polonia) *cernitur defectus, aut certe neglectus, omnis ſpiritualis coërcitionis & diſciplinæ, vt vocant, eccleſiaſticæ. Ex quo non ſolum fit, vt qui ad iſtum cœtum pertinent, multa ſibi permittant, ſibique licere opinentur, quæ tamen ab ipſorummet magiſtris improbantur; verum etiam tantam licentiam ſibi plerique ſumant, vt eiusmodi moribus ſint præditi, qui verum Chriſti diſcipulum minime decent, & interim iſti ad participandam Domini cœnam admittuntur, vna ac pariter cum iis paucis, qui chriſtianis moribus ſunt præditi. &c. Vnde factum eſt, vt omnæ veræ pietatis & vitæ ſuæ emendationis ſtudium refrixerit inter eos, & tantum non penitus extinctum fuerit.* Quin addit SOCINVS, in angelum lucis μεταχηματιζόμενος, & beneuolum aduerſus eccleſiam euangelicam adfectum ſimulans: *Moneo euangelicos, vt ſaltem omni conatu curent, vt in ſuis cœtibus vigeat diſciplina eccleſiaſtica, nec ita peſſum omnia apud ſe ire ſinant; id quod pii viri non ſine lacrimis ne cogitare quidem poſſunt.*

** SOCINVS, loc. cit. p. 705. *Quid cauſſæ eſſe dicemus, cur cœtus, ad quem euangelicos inuitamus, non parum auctus fuerit? Certe non aliud magis, quam vna cum eiusmodi doctrina, quæ habenas vitiis nihil laxat, & mundanas cupiditates mirifice refrænat, coniunctus diſciplinæ eccleſiaſticæ perpetuus vſus, quo homines valide in officio continentur, & ab huius vitæ illecebris ac commodis reuocantur.* Quin p. 707. multos putat cœtum vnitariorum refugere *ob doctrinæ de moribus ſeueritatem.* Nimirum, teſte auctore *compendioli* Socinianæ doctrinæ, quod IO. CLOPPENBVRCHIVS refutauit c. XI. ex eorum mente, *non licet fidelibus, vt coram magiſtratu contendant, vel cauſſas criminales tractent.* Pœ-

nas

nas capitales etsi non improbant in omnibus delictis, tamen in furibus non admittunt. Iuramentorum licentiam circumscribunt. Arma gestare fas esse concedunt, ad incutiendum hostibus terrorem; sed bellum gerere, negant cum ingenio ouium Christi conuenire. Lusus aleæ & chorearum apud eos omnis prohibitus est, est item saltatio & potatio ebriosa, quæ etiam excommunicatione punitur. Hinc SAM. PRZIPCOVIVS oper. p. 452. *Via, quam nos ad salutem eligimus, angusta est, & asperis obsita sentibus. Non est periculum, ne vllis captus illecebris populus ad eam confluat. Vbi enim strictioris vitæ officia morosius exiguntur, non facile mortales conuolant.*

Sunc hæc ita comparata, vt, si legantur ab homine, cui curæ cordique sunt ecclesiæ euangelicæ vulnera, qui grassantem per omnes ordines corruptionem deplorat, qui denique vt collapsa disciplina ecclesiastica instauretur, serio optat; facile eum in hanc opinionem inducant, Socinianos esse homines probos, de Zionis ruinis sollicitos, ideo forte exosos carnalium hominum multitudini, quoniam vlcera ecclesiæ fortius, quam illi ferre poterant, tetigerunt.

§. III.

Magnum insuper præ se ferre videntur *sacræ scripturæ amorem*, in qua interpretanda, variæque doctrinæ luce colluſtranda, haud parum studii complures illius sectæ homines posuerunt.*

* De amore ac veneratione Socinianorum erga sacras scripturas testari videntur

1. *Elogia, quæ eis passim tribuunt.* Certas eas esse, & perspicuas, sufficientesque ad salutem, *Catechismus Racouiensis* pluribus docet Sect. I. cap. 1. 2. 3. Eas vnicam esse normam, ac lydium illum lapidem, secundum quem in rebus diuinis

X. 2 E 8 7
p. 50.

diuinis de veritate dogmatum iudicandum sit, docet IO. LVD. WOLZOGENIVS, in *præparatione ad vtilem lectionem librorum N. T. operum part. II. p. 311.* Earum auctoritatem adstruit FAVSTVS SOCINVS, singulari libro, sub nomine cuiusdam DOMINI LOPEZ, e Soc. Iesu, anno MDLXXXVIII. vulgato, qui exstat in *bibliotheca fratrum Polonorum tom. I. p. 265.* & IO. VOLCKELIVS de *vera relig. lib. V. c. 5. 6. 7.*

2. *Proscriptio traditionum*, quas pontificii sacris scripturis, tamquam necessaria supplementa, obtrudunt; Sociniani contra ab eis remotas atque seiunctas volunt. Videatur IO. VOLCKELIVS, de *vera relig. lib. V. c. 8.* quo contra traditiones acriter disputatur.

3. *Lectio sacræ scripturæ, quibusuis christianis & vindicata & commendata.* Sic FAVSTVS SOCINVS in *libro, quod Poloniæ & Lithuaniæ homines se cœtui Arianorum adiungere debeant*, in adpendice p. 707. iis, qui de doctrinæ suæ puritate conuinci velint, hoc consilium suggerit, *vt sacras literas, præcipue vero N. T. scripta, sibi quam familiarissima reddant.*

4. *Frequens sacrorum vtriusque testamenti librorum allegatio*, tum in catechismo suo Racouiensi, quem *ex sacris literis haustum* esse auctor præfationis persuadere lectori conatur, tum in reliquis suis scriptis didacticis pariter, atque polemicis.

5. *Studium in exegesi sacrarum literarum positum*; editis commentariis pluribus in omnes fere N. T. libros, in quorum plerisque singulare acumen, hinc *philosophiæ* ratiunculis & stili qualicumque elegantia exornatum, illinc *philologiæ*, in abusum artificiose tractæ, adminiculis suffultum, passim elucet. FAVSTVS SOCINVS ipse commentarios in Matthæi cap. V. & VI. in euangelii Ioannæi initium, in ca-

put VII epistolæ ad Romanos, in priores Ioannis literas, reliquit, qui tomo I. operum eius leguntur. IOANNES CRELLIVS maximam N. T. partem illustrare, vel potius obscurare, adnisus est; quem lapidem etiam IONAS SCHLICHTINGIVS, IO. LVD. WOLZOGENIVS, & SAMVEL PRZIPCOVIVS sibi voluendum reuoluendumque sumsere. Videatur B. IO. FRANC. BVDDEI *isagoge in vniuersam theolog. p. 1754. sqq.* & RICH. SIMONII *histor. crit. commentatorum N. T. c. 55. 56. 57.*

Hæc omnia vti speciem haud vulgarem venerationis erga Dei verbum præ se ferunt, ita facile viam sternunt ad fauorem eorum, qui sacras literas amant, illarumque tractationem deliciis omnibus anteponunt, Socinianis conciliandum; vt parum absit, quin putent, eos esse beatos illos homines, qui, deserta impiorum via, Dei lege delectentur, de ea dies noctesque cogitantes, arbori proinde similes, ad aquæ riuum satæ, fructum suum suo ferenti tempore, cuius non decidunt folia, quibus prospere omnia succedant. Psal. I, 1. 2. 3.

§. IV.

Iste verbi diuini amor tanto fortius credulorum oculos perstringit, quanto ei maius adiunctum esse *odium* videtur, quo *in humanas fidei formulas*, inque *symbola*, a doctoribus non θεοπνεύστοις condita, isti homines feruntur. *

* Equidem antiquissimum illud *symbolum*, quod *apostolicum*, non a conditoribus, sed a doctrinæ indole vocatur, quodque ab ipsis Arii assectis in synodo Nicæna concinnatum esse, impudentissime SANDIVS mentitur, in *nucleo hist. eccles. p. 167.* magna cum veneratione recipere Socinia-

XI. unitar. p. 100

ciniani videntur. In *catechismo Racov.* edit. 1684. p. 46. *Fidei*, inquiunt, *symbolum, quod vulgo apostolicum vocant, nobiscum vniuersi christiani amplectuntur.* Auctor *Vindiciarum pro Vnitariorum libertate*, in *SANDII bibliotheca Anti-Trin.* p. 274. 275. *Vnitarii symbolo apostolico, vt antiquissimo, ita verissimo & vere catholico, velut vnicæ christiani baptismi tesseræ, per omnia adhærent.* Similiter Vnitarii in noviſſima fidei ſuæ confeſſione, quam anno MDCCXVI. ſparſerunt: *Das Apostolische Glaubens-Bekenntniß nehmen wir mit grosser Ehrerbietung an.* Conf. *Hebopfer p. 861.* Hoc ipſo nimirum ſymbolo doctrinam noſtram de Trinitate configi penitus poſſe, ſibi perſuadet IONAS SCHLICHTINGIVS de *Trinitate*, contra MEISNERVM *p. 325.* quia in eo nec vola nec veſtigium exſtet illius doctrinæ, *Iesum Christum & Spiritum sanctum, præter Patrem, esse illum vnum DEVM, cæli terræque creatorem. Si enim*, inquit, *hoc verum esset, aut pro fidei articulo habitum, nullo pacto in hoc symbolo esset prætermissum. At prætermissum est. Non igitur verum, aut pro fidei articulo habitum est.* Conf. WILH. ERN. TENZELII exercit. *de symbolo apostolico* & BALTH BEBELII *antiqu. eccl. euang. sec. IV. p. 881.* qui & SANDII de hoc ſymbolo figmentum refutat.

Reliquis ſymbolis tanto infenſiores ſunt, quanto huic fauentiores. SAM. PRZIPCOVIVS *operum p. 591. Symboli apostolici veritatem ac lucem simplicissimi quique capiunt, quia & oratio eius simplex est. At recentiorum symbolorum tricas ac nodos, in semet reflexos atque implexos, nemo Platonicæ scholæ tam amans, nemo tam acutus & solers est, qui dissolui aut humano explicari ingenio posse arbitretur.* AVCTOR *colloquii de Trinit. p. 185. Ob beyeuch sich schon iemand zur gantzen heiligen Schrift bekennete, und darüber leben*

und ſterben wolte; wenn er aber nicht auch die Augsburgiſche Confeſſion, oder Formulam Concordiæ, und die ſymboliſchen Bücher ſeines Landes, ſamt dem Symbolo Athanaſii annimmt: ſo kan er, nach eurer Meynung, nicht ſelig werden. VAL. SMALZIVS in *refutatione theſium Wolfg. Franzii p. 280. In ſymbolo*, ait FRANZIVS, *docetur trinitas perſonarum. In quonam? Si aliud oſtendat, quam apoſtolicum, tamquam humanum commentum ridebo illud, & reſpuam.* Ex quibus verbis, totoque illo virulento SMALZII ſcripto, ſatis etiam adparet, quo loco illi homines noſtram confeſſionem, Auguſtæ editam, noſtrosque libros ſymbolicos habeant.

Interim quamuis omnes credendi formulas, canones, confeſſiones, catecheſes, tamquam ſentiendi libertati inimicas, conſcientiarumque carnificinas, reiiciant, & ad orcum proſcribant (conf. præf. *ad catech. Rac.* anno 1684. editum) præ reliquis tamen *ſymbolum Nicænum & Athanaſianum*, velut ſudem in oculis, auerſantur.

Symbolum *Nicænum*, in concilio Nicæno, anno Chriſti CCCXXV. communi epiſcoporum conſenſu e ſacris literis conditum, & Imperatoris patrumque præſentium ſubſcriptione confirmatum, (de quo vide B. BVDDEI *iſagogen p. 448.*) vti olim Arianis, ita & hodie eorum ſucceſſoribus, omnibusque Anti-Trinitariis, vehementer diſplicuit; idque vel maxime ob vocem ὁμοούσιος, filio DEI tributam, quam ferre nullo modo poſſunt. SAM. PRZIPCOVIVS *oper. p. 591.* ita illud perſtringit: *Symbolum, ab apoſtolis traditum, facile, clarum, ac luce ſua conſpicuum omnibus, nullas menti noſtræ dubiorum & contradictionum nubes aut caliginem adfundit. At vero quod tertii poſt illos ſeculi patres tradiderunt, diſcentibus arduum, docentibus inexplicabile, auditu abſurdum, verbis nouum, nec aliud niſi pomum Eridos, fœda con-*

tenti-

tentionum scabie funestum ecclesiæ fuit. Nec satis verborum alii etiam Sociniani inuenire possunt, quibus concilium Nicænum, eiusque episcopos, conuiciorum imbre perfusos, traducant. Conf. SANDII *nucleum hist. eccl. p. 167.*

In symbolum vero *Athanasianum*, cuius cum sacra Scriptura harmoniam singulari dissertatione HENR. RIXNERVS ostendit, tota maledictorum plaustra exonerant. ANDREAS DVDITHIVS, in *epist. ad* IO. LASICIVM, equitem Polonum, quæ exstat *oper. Socini tom. I. p. 510. Non sum iocatus, Lasici; sed serio admodum professus sum, confessionis illius formulam, quæ* ATHANASII *nomine circumfertur, itemque* NICAENVM *illud symbolum, non esse sacris literis & christianæ pietati consentaneum, sed ex humano sensu, & spinosis quibusdam frigidorum Sophistarum argutiis, depromtum. Qui vult, inquit ille pater vester* ATHANASIVS, *saluus esse, necesse est, vt fidem catholicam teneat. &c. O crudelem Athanasium, si nemo saluus esse potest, nisi fidem hanc, quam ipsi catholicam vocant, teneat, quæ tam multis verborum & sententiarum tricis complicata proponitur.* Similiter GVIL. WHISTON in *præf.* historica, quam *christianismo ecclesiæ primitiuæ resuscitato* præmisit, p. 83. 84. *Symbolum* VIGILII *Tapsitani* (hunc enim Africanum seculo quinto episcopum auctorem huius symboli esse cum PASCHASIO QVESNELLIO, NAT. ALEXANDRO & aliis statuit) *tantis erroribus laborat, & tantum abest a genuino fundamento, vt a studio partium alienus, nec legere id aliter, nisi dubitante conscientia, nec ei adsentiri possit, nisi conscientia renitente. Nec, credo, datur quidquam in ecclesia antichristiana, quod ad dogmata attinet, quod magis a veritate recedat, symbolo illo.* In eandem sententiam concedit CHRISTIANVS DEMOCRITVS, qui *operum* p. 508. Symbolum Nicænum atque Athanasianum vo-

cat, *eine Geburt der zanckſüchtigen Vernunft, oder eine heidniſche und metaphyſiſche Diſputation.* Et nuper in *defenſione veræ demonſtrationis euangelicæ* p. 262. *Das Symb. Athan. iſt eine lächerliche Mißgeburt, ſo wider die Schrift ſo wohl, als alle Vernunft, muß geglaubet werden.*

Quin & in ATHANASIVM ipſum virus ſuum euomit, ſparſasque olim in ipſum Arianorum calumnias recoquit, CHRISTOPH. SANDIVS, in *nucleo hiſt. eccleſ. lib. II. p. 176. ſqq.* quamuis ne ipſe quidem hoc ſymbolum concinnaſſe multis multas ob rationes videatur, qui ideo hoc nomen ei hæſiſſe putant, quia ſummam illius fidei continet, quam aduerſus Arianos Athanaſius defendit. vid. AD. RECHENBERGII *adpend. ad libr. ſymb. p. 113.* & fuſius B. BVDDEI *iſagogen p. 452. ſeqq.*

Interim iſtud ſymbolorum odium parat Socinianis illorum hominum amorem, qui nimiam & propemodum parem ſacris literis venerationem humanis fidei regulis a quibusdam tribui dolent, qui in conciliorum forma multa deſiderant, qui denique DEI verbo ſoli innitendum eſſe contendunt, & cum DVDITHIO *loc. cit.* dicunt: *Chriſtus maius apud me pondus habet, quam ſexcenti patres, quam omnia concilia. Super eum enim fundata eſt ſalus mea.*

§. V.

Non minori *odio in eorum doctrinam, qui Romani pontificis decreta amplectuntur*, Socinianos flagrare videas.* Vti enim de aliorum ſalute benignius ſperant; ita illis, cum chriſtiano nomine, omnem fere ſalutis ſpem præſcindunt.**

* FAVSTVS SOCINVS, relicta Italia, auitaque religione, acre Papatui bellum indicebat; quin tantum eius odium

um præ se ferebat, vt ipsas etiam illius reliquias, quas in ecclesiis e Babylone egressis deprehendisse sibi videbatur, exstirpare omni virium conatu niteretur. Hinc aliquis ecclesiam Romanam sub magnifici cuiusdam palatii forma depinxit, cuius *tectum* LVTHERVS sociique eius submouerunt, *parietes* CALVINVS demolitus est, SOCINVS vero cum reliquis Antitrinitariis ima eius *fundamenta* diruerunt. In *præf. catech. Racov.* Germanici Pontifex Romanus vocatur *antichristus*, & ecclesia Romana ibidem *antichristiana, idololatrica & falsa adpellatur.* IO. VOLCKELIVS de *vera relig.* lib. VI. c. 17. *Si pietas veræ ecclesiæ Christi nota est, nulla est caussa, cur ecclesiam pontificiam pro vera ecclesia Christi agnoscamus; immo caussa est magna, cur eam pro tali minime habeamus: quandoquidem non solum in pontificiorum plebe, sed in ipsis etiam eorum pastoribus, non vnius generis vitia passim magna licentia grassari, clarissime cernimus.* Add. OSTORODI *instit. c. XLII. §. VIII.* vbi ecclesiam pontificiam veræ ecclesiæ titulum non mereri inde probat, quia idololatriæ prorsus sit dedita. Ex instituto eam rem tractauit IO. NIEMOIOVIVS, eques Polonus, Socino addictus, in *demonstratione, ecclesiam pontificiam non esse apostolicam, neque sanctam, neque catholicam.*

** Ita VAL. SMALZIVS in resp. *ad noua monstra Arianismi*, a *Smiglecio* edita *cap. 1. p. 9.* aliquot argumentis probare nititur, *pontificios non esse veros christianos. Hæreticorum* titulum iure ipsis imponi THEOPH. NICOLAIDES, hoc est, idem VAL. SMALZIVS euincere studet in *refut.* tractatus Borcouiani *de ecclesia & missione ministrorum p. 3.* FAVSTVS SOCINVS in epist. 3. *ad Dudithium, oper. tom. I. p. 502. Quod ad me attinet, nullum mihi est dubium, quin omnes illi, siue Calviniani, siue Lutherani, siue Anabaptistæ, siue Ariani, qui se*

ad

ad præscriptum Christi gesserint, cælestis vitæ hæreditatem adituri sint. De Papistis idem adfirmare nolim, quos omnes hodie idololatras esse statuo: noui vero, neminem idololatrarum salutis æternæ compotem fore.

Et hæc ipsa, quam Socinus profitebatur, Papismi detestatio, multos ipsi eo, quo viuebat, tempore sectatores conciliauit. Ecclesiæ enim, per occidentem sparsæ, per multa secula sub tyrannico pontificis Romani iugo laborarant, adeoque ex illius tyrannidis odio, ac superstitionis horrore, multi proniores erant, ad aurem Socino præbendam, qui omnia fere vituperabat, quicquid ecclesia Romana tenuerat, quasi illa religionem pristinam non corrupisset solum, sed omnino etiam perdidisset. Hinc factum est, vt complures, quidquid ecclesiæ Romanæ fidei, politiæ, cultui & consuetudinibus contrarium erat, pro vero & recto amplecterentur. Eademque res hodie etiam apud nonnullos, qui bdelygmata papatus introspiciunt, efficit, vt Socinianos, iuratos scilicet Babylonis mysticæ hostes, non adeo malos esse arbitrentur.

§. VI.

Si credere fas est, animum gerunt a spinosis subtilibusque controuersiis cum fastidio auersum, & *simplicis fidei amore* prorsus imbutum.* Vnde etiam *terminis*, quos vocant, *scholasticis* ex theologia proscriptis, cum verbo DEI se loqui malle, subdole profitentur.**

* Negari non potest, plurima christianæ religionis mysteria per theologiam scholasticam multis esse subtilium otiosarumque quæstionum spinis circumsepta. Conf. ADAMI TRIBBECHOVII liber *de doctoribus scholasticis, cap. IV. p. 138.*

p. 138. seqq. Sociniani igitur magno se odio istarum subtilitatum, magno christianæ simplicitatis amore, teneri simulant, ac proinde quidquid mentis humanæ captum superat, tamquam inanes speculationes, a philosophis scholasticisque doctoribus in doctrinæ christianæ sacrarium inuectas, & ad promouendam pietatem nullo se vsu commendantes, abiiciendum esse contendunt. Ita ANDR. DVDITHIVS, in *epist. ad Lacisium*, postquam symbolum Nicænum & Athanasianum ex humano sensu, & spinosis quibusdam frigidorum sophistarum argutiis depromtum esse, cauillatus erat, addit: *Abhorrent illa prorsus, & valde quidem abhorrent, a simplici illa minimeque fucata fide, quam Christus ipse, magister & Seruator noster, quamque eius discipuli docuerunt, literarumque monumentis consignatum nobis reliquerunt;* oper. SOCINI tom. I. p. 510. SAM. PRZIPCOVIVS oper. p. 379. *Sapientissimo Dei consilio capita ad salutem necessaria sic comparata sunt, vt ab omnibus nullo negotio comprehendi & percipi possint. Verum enim vero dogma illud Trinitatis adeo est intricatum & difficile, adeoque omnem simpliciorum captum superat, vt paucissimi illorum sibi salutem spondere possint, si cuiquam fraudi sit, male hic intellexisse. De personarum enim ac essentiarum discrimine, de communicatione idiomatum, de mysteriis, quæ nemo vmquam vidit nec satis percepit, disputatur. Hæc adeo supra imbecillitatem nostram adsurgunt, tantaque istic, vbi semel agitata sunt, spinarum ac veprium seges succrescit, vt raro tam felix ingenium natura producat, quod se ex isto senticeto bona fide expediat. Quæ curiositas, quam infeliciter orbi cesserit, credamus conquerenti HILARIO, qui felices Galliæ episcopos prædicat, quod aliam nec excudissent, nec recepissent, nec omnino cognouissent confessionem, quam veterem illam & simplicissimam, quæ ab æ-*

tate apostolorum apud omnes ecclesias recepta fuerat. O si cum istis Gallis felices esse mallemus, quam nimis altum sapiendo turbare pacem ecclesiæ. Idem in *apologia adflictæ innocentiæ* ad Electorem Brandenburgicum, *oper. p. 451. Humillimis precibus contendimus, ne a nobis subtilis ac spinosa theologicorum dogmatum professio requiratur. Subtilitates litigiosæ pietatis aut ignorauimus, aut tamquam superfluas omisimus.* Auctor vindiciarum in SANDII *bibl. Anti-Trin. p. 275.* de Vnitariis: *Monente sacra scriptura altiora se non quærunt, supra ea, quæ scripta sunt, sapere non audent, & ea, quæ omnem humanum captum excedunt, curiosa indagine violare nolunt.*

** Hinc vocabula illa *Trinitatis*, *Essentiæ*, *Personæ*, ὑποστάσεως, ὁμοσίᾳ, cet. dudum a vetere ecclesia recepta & adhibita, ad mysterii illius tum explicationem, tum munimentum contra hæreses Sabellii, Pauli Samosateni, Arii, Photini &c. tamquam ἄγραφα & noua exsibilant, & ex ore christianorum exterminanda contendunt, substitutis in eorum locum verbis scripturæ, quæ nimirum facilius in suas pertrahere partes, iisque notionem suis hypothesibus consentaneam imponere se posse, astute arbitrantur. Ac initio quidem LAELIVS SOCINVS timidius ea de re suam sententiam proponebat. *Ego*, inquiebat, *Trinitatis, Personarum, ὑποστάσεως, consubstantialitatis & alias similes voces, agnosco non recens excogitatas, sed a mille trecentis annis, inde vsque a temporibus IVSTINI MARTYRIS, in toto fere christiano orbe fuisse vsitatas, & quidem maximis grauissimisque de caussis. Verumtamen libere dicam, quod sentio, ego modis omnibus probarem, si adhuc verbis Christi, apostolorum & euangelistarum christiana, apostolica & euangelica fides nobis explicaretur. &c.* Vide IO. HENR. HOTTINGE-

RI

RI *hist. eccles. N. T. sec. XVI. part. V. p. 422.* Apertius post alios SAM. PRZIPCOVIVS in innoxios istos terminos inuehitur *oper. p. 451. Præcipuum*, inquit, *erga tam sanctum mysterium obseruantiæ nostræ documentum esto, quod de eo aliis verbis loqui non audeamus, nisi quæ, spiritus sancti instinctu, in sacris literis pronunciata sunt. Atque vtinam intra tam iustæ moderationis metas ceteri sese tenuissent. Sed irruperunt in tam abstrusum arcanum tot ignotæ sacris scriptoribus voces, tot salebræ, ac difficultates, quæ nec mente satis concipi, neque secum conciliari possunt.* Addatur auctor libelli: *Raisons des Scripturaires, par lesquelles ils font voir, que les termes de l' Ecriture suffisent, pour expliquer le dogme de la Trinité.* Hamburgi 1706. In eosdem illos terminos antiquissimos cornua petulca vertit CHRIST. DEMOCRITVS, oper. p. 1079. *Die Worte Person und Wesen in der Gottheit haben die verruckten Pfaffen erdacht. - - Warum ist man denn nicht bey der Einfalt der Schrift geblieben? Warum fingiret man sich denn Geheimnisse, die den Jüden und Heyden ärgerlich sind?* Et *in Glaub. Bek. p. 424. Ob man Vater, Sohn und Geist drey Wesen oder drey Personen nennen solle, und was dergleichen unzulängliche Schul-Termini mehr sind, darum ist nicht zu zancken.*

Habent hæc aliquam speciem apud animos simplices, rerumque imperitos, eos maxime, qui tædio tricarum scholasticarum capti, λογομαχίας inanesque de verbis contentiones fastidiunt, vel etiam suæ cognitionis angustiam, ignauiæ filiam, simplicitatis nomine ornant.

§. VII.

Fastidiose insuper *cognomenta humana* detrectant, grauemque sibi eorum impositione iniu-

riam fieri conqueruntur, * ſolum *chriſtianorum* nomen adfectantes. **

* *Sic auctor vindiciarum pro Vnitariis*, in SANDII *bibl. Antitr. p. 268.* conqueritur, ſuos vnitarios, qui vnum Deum patrem, & vnigenitum eius filium Ieſum Chriſtum, cum Spiritu ſancto profitentur, quique proinde merito *Vnitarii* & *Chriſtiani*, a fide in Chriſtum, & per eum in vnum Deum, vocari debeant, tamen, præter fidem & animi ſui ſententiam, *aliis inuidioſis titulis*, PHOTINIANORVM, SAMOSATENORVM, ARIANORVM *&c. adpellari.* Hinc IOSVA STEGMANNVS, in *Photinianiſmo* p. 1. *Admodum diſplicet aduerſariis hæc ὀνομαθεσία, forte quod errores illorum in veteribus hæreſiarchis damnati, hac ratione luculentius pateant, ideoque ſe ipſos a nullo homine volunt denominari, ſed ſolius Patris, Domini noſtri Ieſu Chriſti, vtpote vnius Dei, confeſſores audire præoptant.*

** VAL. SMALZIVS in *refut. theſium* FRANZII p. 10. 11. FRANZIVS *docet, nos Photinianos adpellandos eſſe, quia noſtra de Chriſto ſententia conueniat cum ſententia Photini. Sic ſolent agere illi, qui res ſacras parum grauiter tractant, & alienæ infamiæ ſtudent. Si* PHOTINVS *verum ſenſit, Chriſtianus fuit, & ideo nos vna cum eo ad Chriſtum adpellamus. Quid eſt* PHOTINVS? *quid alii? niſi ſerui Chriſti? Chriſtus eſt Dominus noſter, ab eo nominari gaudemus omnes.*

Facile tales voces eorum calculum merentur, qui dolent, orbem chriſtianum in tot partes eſſe diſciſſum, quarum quælibet, loco Chriſti, vnici magiſtri, hos illosue homines ſibi velut duces & anteſignanos elegit.

§. VIII.

Paſſim in ſcripturis ſuis *amorem* mutuum, *con-*

concordiam christianam, *tolerantiam* eorum, qui aliter sentiunt, *libertatem*que *conscientiarum* magna verborum pompa commendant, * seque ab iniuriis, fidei caussa cuiquam inferendis, alienissimos, pacisque studiosissimos, profitentur. **

* *Auctor vindiciarum* pro Vnitariis apud SAND. p. 267. *Libertas conscientiarum, inæstimabile & a cælo datum bonum, nec vlla purpura venale vel auro.* Et p. 273. *Nonne æquitati est consonum, vt ciues se mutuo ament, tolerent, sinceram concordiam inter se retineant, æquabili libertate gaudeant, licet sententiis in fide, & consequenter conscientiis (quibus soli Deo quilibet obligatur) discrepent? Quid magis sacra pagina noui fœderis, quam amorem etiam inimicorum, quam concordiam, dilectionem, vnicam verorum Christi discipulorum tesseram, perfectionis vinculum, legis complementum, multorum vitiorum operculum, inculcat & commendat? Et nonne summus monarcha tam exemplo, quam mandato suo nobis ad tolerandos, non ad tollendos & eradicandos in fide a nobis dissentientes præit? Quapropter conscientiarum imperium, soli Deo conueniens, sibi arrogare & crudeliter exercere, Deo & omni æquitati valde contrarium est. &c.* Auctor præfat. ad *catech. Racov.* anni MDCLXXXIV. *Confessiones & catecheses hodie plerumque ita proponuntur, vt iis conscientiæ adstringantur, vt iugum imponatur hominibus christianis, iurandi in verba atque sententias hominum, vtque eæ statuantur pro fidei norma, a qua quisquis vnguem transversum deflexerit, is continuo anathematis fulmine feriatur, & pro hæretico, pro homine deterrimo ac teterrimo habeatur, cæloque proscriptus ad tartara detrudatur, atque infernalibus ignibus cruciandus adiudicetur. Absit a nobis ea mens,*

immo amentia. Dum catecheſin ſcribimus, nemini quidquam præſcribimus. Dum ſententias noſtras exprimimus, neminem opprimimus. Cuique liberum eſto ſuæ mentis in religione iudicium; dum modo & nobis liceat animi noſtri ſenſa de rebus diuinis, citra cuiusquam iniuriam aut inſectationem, depromere. Hæc enim eſt aurea illa prophetandi libertas, quam ſacræ literæ N. T. nobis impenſe commendant. Vnus dumtaxat eſt magiſter noſter Chriſtus; nos omnes fratres ſumus, quorum nulli poteſtas ac dominium in conſcientiam alterius conceſſum eſt. Talem auctoritatem, cui refragari nefas, nequaquam nobis ſumimus: immo hoc ipſum eſt, quod culpamus in iis, qui confeſſiones aut catecheſes ſuas propemodum prophetarum & apoſtolorum ſcriptis æquant, vt contra eas ne hiſcere quidem liceat.

** Vnitarii exules in *epiſtola* ſua, apud STANISL. LVBIENIECIVM, in *hiſt. reformationis Pol.* p. 302. *Nemini noſtra obtrudimus, nemini, qui a nobis diſſentit, cupimus eſſe moleſti, neminem ob ea ab amicitia noſtra & fraterna ſocietate arcemus, in nullius verba iuramus, niſi vnius Chriſti.* MART. RVARVS epiſt. cent. I. ep. 84. *Teſtamur, nos ab omni oppreſſione, quæ cuiquam ob religionem ac conſcientiam infertur, alienos. Eam mentem nobis inſeuit mitis Chriſti ſpiritus.* Omnibus ſentiendi ac diſſentiendi *libertatem* SOCINVS offerebat, quamque ſibi ſumebat iudicandi licentiam, aliis etiam indulgebat. In epiſt. ad DVDITHIVM tom. I. p. 502. *Quod quæris, quis controuerſiarum, in rebus ſacris oborientium, iudex ſit futurus? Ego vero reſpondeo, extra nos ipſos alio nobis iudice opus non eſſe, quam Deo & Chriſto. Sibi quemque aduigilare par eſt, idque pro vero admittere ac tenere (licet vniuerſus terrarum orbis in alia omnia iret) quod ipſemet, totus ad Dei obſequium conuerſus, de genuino ſacrarum lite-*

literarum sensu arbitratur & intelligit. Neminem porro, qui ab ipsis dissentiat, ideo inferorum pœnis addicere videntur. SOCINVS in eadem ep. ad DVDITHIVM p. 502. *In reliquis, si quis occurrat error, nemo ob eum cælo excludetur. Vnde consequitur, sine iactura salutis æternæ credi, aliquid in sacris literis præceptum aut vetitum esse, quod reuera illic non sit præceptum aut vetitum.* Et *operum tom. I. p. 707.* vocat se hominem, qui euangelicos sincere amat, *nec, quamuis in multis & grauibus erroribus eos versari credat, sic tamen damnat, vt omnino a cælesti regno excluſum iri illos adfirmet; immo plane sibi persuadet, si alioqui pie vixerint, & mundanis cupiditatibus valedicant, fore omnino vt seruentur.* Similiter SAM. PRZIPCOVIVS, operum p. 452. *Dissentientes in pluribus religionis capitibus, dum Iesum credant esse Christum, eamque fidem vitæ integritate testentur, damnare non sustinemus. Evangelicas quoque ecclesias, dum in hoc seculo sobrie, iuste & pie viuant, pro veris Christi ecclesiis agnoscimus.* Denique Socinianos omnes promiscue aliarum christianarum religionum sectatores (præter pontificios idololatras) pro fratribus suis & æternæ vitæ heredibus agnoscere, si modo ab illis agnosci velint, IO. ADAM SCHERZERVS, in *collegio* Anti-Socin. *disp. CXXI. p. 1040.* adductis SMALZII, NICOLAIDIS & SCHLICHTINGII testimoniis probat. FAVSTVS SOCINVS ad FRANC. PVCCIVM, nobilem Florentinum, qui in grauissima de immortalitate primi hominis quæstione ab eo dissentiebat, scribit: *Si christianæ sanctitati studueris, quidquid in hac controuersia nostra vnquam sensurus sis, ego te semper meum in Christo FRATREM esse agnoscam.* Oper. *tom. II. p. 369.* MART. RVARVS in epist. ad BERGIVM, *cent. I. ep. 20. Vide quæso, quanto latius pateat meus, vt ita dicam, catholicismus, quam tuus, qui homousianos tantum, ac ne*

eos

eos quidem omnes, in amicum fœdus recipis; quum ego non illos modo, sed & alios omnes, qui quidem capita christianæ fidei teneant, & vitam secundum regulam euangelii componant, FRATRES *salutem.* Postremo, quod hæreticis pœnam infligendam, aut eos quocumque modo coërcendos esse, strenue negent, notius est, quam vt allatis in medium testimoniis probari mereatur. Conf. OSTORODI *institut. cap. XXIX.*

Blandiuntur hæc ingeniis liberioribus, quæ duci volunt, non cogi, quæque, sub libertatis prætextu, malunt noua fidei principia cudere, quam aliorum sententiæ in religionis negotio adhærere. Quin hæc bonis etiam mentibus placere possunt, qui tyrannidem, quæ in conscientias exercetur, exosi, pacem & tolerantiam eorum, qui infirmitatis humanæ vitio errant, principiis euangelicis quam optime conuenire arbitrantur; quod maxime ea tempestate contingere solet, qua omnia litibus & condemnationibus immodicis personant, vbi nihil acceptius esse solet, quam moderatio & dulce pacis nomen.

§. IX.

Non ipsi vero solum pacem & concordiam amare videntur, sed aliis etiam eam commendant, & non *dissentientes* solum *in fide christianos reconciliare*,* sed *Muhammedanis* etiam & *Iudæis*, sublato pariete intergerino, ad ouile ecclesiæ viam parare volunt.**

* Ideo nimirum se dogmata fidei, creditu necessaria, ad pauciſſima redigere capita dicunt, vt hoc modo litis materiam conflictantibus inter se partibus abscindant, controversia-

versiarumque siue radices reuellant, siue numerum saltem minuant. Ideo tot olim in Polonia synodos conuocarunt, in quibus deliberatum fuit, quo pacto ecclesias euangelicas cum suis cœtibus vnire possint; quo fine etiam FAVSTVS SOCINVS, anno MDXCIX scripsit libellum suasorium *de officio hominis christiani in hodiernis istis de religione controversiis*, siue *Quod euangelici Poloniæ & Lithuaniæ homines debeant se illorum cœtui adiungere, qui falso Ariani atque Ebionitæ vocantur.* De variis istis moliminibus ad vnionem ecclesiarum tendentibus, VAL. SMALZIVS, in *diario* suo ad an. 1612. d. 21. Iun. hæc adnotauit: *Cum Moscouio iter ingressus Lublinum venimus. Ibi quod anno superiore cum euangelicis* (maxime reformatis) *cœperamus vnionis christianæ negotium, redintegrauimus in synodo ipsorum. Sed frustra. Nec persuaderi illis potuit, nos hoc solo diuinæ veritatis & salutis ipsorum studio facere. Sed partim sperabant, nos aliquot confessionis nostræ articulos abnegaturos, vt ab illis reciperemur nos, qui eos recipere parati eramus; partim credebant, nos ipsorum tutelam potius, quam fraternitatem, hoc nomine captare. Quod vtrumque prodidit ipsorum magnam stupiditatem & præsumtionem.* Videatur, quæ ad illum locum notauit ven. ZELTNERVS in *hist. Crypto-Socin. p. 1194.* item de studiis Socinianorum, *Mennonis* affectas secum vniendi, *ibid. p. 166. 276.* Quin sub huius, in quo vivimus, seculi initium denuo Socinianos vnionem cum reformatis, in Marchia degentibus, expetiisse, patet ex *epistola* amici ad amicum, *betreffend die bey den Reformirten gesuchte Reception der Socinianer*, anno MDCC. scripta. Magno imprimis impetu omnium sectarum conciliationem tentauit DANIEL ZWICKERVS, medicus Gedanensis, qui eo scopo scripsit *reuelationem catholicismi veri, Irenicum Ire-*

nicorum, Henoticum christianorum, vltimam tubam siue admonitionem ad omnes sectas &c. Quumque imprimis concordiam cum fratribus Morauis instituendam vrgeret, factum est, vt COMENIVS laqueos in oblata ista concordia latentes mascule detegeret; male propterea duriterque tum a ZWICKERO in Irenico-mastige, tum a PRZIPCOVIO exceptus.

** Peruerse scilicet SOCINVS sibi persuadebat, viam, qua infideles in ouile ecclesiæ introirent, non rectius reparari posse, quam si Trinitatis mysterium, aliaque plura dogmata, a quibus Iudæi & Muhammedani abhorrent, tamquam infidelium scandala, e medio tollerentur. Hinc *Iudæi* inter christianos omnes maximi faciunt Socinianos, & spem salutis æternæ, quam reliquis Christi adoratoribus adimunt, his solis relinquunt, vt testatur WVLFERVS in *animadv. ad theriac. Iud. Sal. Zebbi* cap. IV. §. 3. qui & §. 13. obseruat, Iudæos, aduersus Trinitatis doctrinam pugnantes, sæpe Socinianorum vitulo arare; vti contra Anti-Trinitarii nonnulli ex *Muhammedanorum* Corano arma sua aduersus christianæ religionis mysteria depromserunt. Sic FRANC. DAVIDES, qui, Socini principiis insistens, Christum velut nudum hominem adorandum inuocandumue esse negabat, ad hoc probandum inter alia hoc argumentum ex Corani pandectis adfert: *Vt non perperam in Alcorano fingitur, Christum suis cultoribus opem ferre non posse, quia, contra eius doctrinam, ipsum Deum esse fassi sunt: ita merito reprehenduntur, qui Christum adorandum & inuocandum esse docent.* Vide opera SOCINI tom. II. p. 751. vbi SOCINVS ipse respondet: *Iam satis superque notum nobis erat, vos ex Alcorano & ex Talmudicis libris istas contra Iesum Christum blasphemias omnes hausisse.* Ministros etiam Transsyluaniæ vnitarios

ex

ex Corano fidei suæ de Deo testimonia adferre, aduersariosque suos hortari, vt eum legant, plura ibi egregia & insignia de Christo inuenturos, SOCINVS negare non potest, *aduersus Wujeckum* oper. tom. II. p. 536. Quam bene etiam Socinianis & Muhammedanis conueniat, colligere licet ex colloquio Socinianorum Londinensium cum legato Marocano, quod ex Caroli Leslie libro: *The Socinian controuersy discuss'd*, refert ven. PFAFFIVS, in *hist. liter. theol. part. II. p. 329.* Adde SAM. FRID. LAVTERBACHII *Ariano-Socinismum Polonicum p. 446.* & FRID. SPANHEMII *elenchum controuers. p. 166.*

Interim quum Christus beatos prædicet eos, qui pacem condunt, Matth. V, 9. facile fieri potest, vt irenici isti Socinianorum conatus, qui ad vulnera Zionis obliganda, adque promouendam gentis Iudaicæ ac Muhammedicæ conversionem, destinati videntur, placeant imperitis, bonamque de Socinianis opinionem excitent.

§. X.

Dum *consensum* doctrinæ suæ *cum doctrina ecclesiæ & primitiuæ*,* *& euangelicæ*, ** iactant, multaque passim *veritatis semina* subdole spargunt, *** ab hæreseos suspicione vt absoluantur,* suo quodam iure postulare sibi videntur, refragantibus hæretificum nomen minitantes. **

* Suam nimirum doctrinam eandem esse impudenter iactitant, quam tenuerunt, post apostolos, omnes primitivæ ecclesiæ Patres, qui ante concilium Nicænum vixere. Equidem FAVSTVS SOCINVS *aduersus Wujeckum*, oper. tom. II. p. 618. negat ex scriptis suorum hominum ostendi posse,

eos adſerere, ſcriptores ante concilium Nicænum, qui hodie extant, ſuæ ſententiæ fuiſſe. Addit tamen: *Niſi noſtræ ſententiæ nomine intelligatur ſimpliciter id, quod ſentimus de vno illo Deo, quod videlicet is nullus alius ſit, præter Ieſu Chriſti patrem. Hanc enim eandem iſtorum Patrum eſſe ſententiam, ſi non omnium, at certe maximæ partis eorum, omnino nobis perſuademus: quamuis alioqui a nobis diſſentiant, quatenus Chriſtum, ſeu Dei filium, ante orbem conditum, ex ipſius patris ſubſtantia extitiſſe volunt.* Maiori confidentia Ariani hodierni ad Patrum Ante-Nicænorum conſenſum prouocant. Videatur CHRISTOPHORVS SANDIVS, in *nucleo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Auctor libelli, anglice ſcripti: *Iudicium Patrum circa doctrinam de Trinitate*, BVLLO oppoſitum, GVIL. WHISTON, aliique. Alii ſaltem cum DAN. ZWICKERO, in *Irenico Irenicorum p. 14. ſeqq.* pronuntiant, neminem, IVSTINO MARTYRE antiquiorem, citari poſſe, qui in ſcriptis ſuis Chriſto diuinam naturam adſcripſerit, eumque Deum ante ſecula dixerit. Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, purum & ſimplex euangelium de Chriſto, mero homine, prædicaſſe; verum haud diu poſt, myſterio ſcilicet iniquitatis iam tum operante, puritatem & caſtitatem euangelii, a Platonicis philoſophis, chriſtianam religionem amplexantibus, atque a IVSTINO inprimis, adulteratam fuiſſe. Ita nimirum iſti homines peruerſæ ſuæ doctrinæ antiquitatis laudem vindicant; Orthodoxos vero tamquam nouatores & ab antiqua fide apoſtatas traducunt.

** Quum ALB. BORKOVIVS homo pontificius, ſcripſiſſet: *Stante fide, quam habent Lutherani de Chriſto, eiusque vera Diuinitate, numquam animum inducere poterunt, vt vos Arianos in eccleſia ſua habere velint*; reſpondet THEOPH. NICOLAIDES, ſiue SMALZIVS, in *refut. tract. de eccleſia & miſſio-*

missione ministrorum, Racouiæ 1614. edita, cap. II. p. 19. *Iam pridem a nostris demonstratum est, & demonstrare porro parati sumus, stante sententia euangelicorum de Christo & eius diuinitate, nos vna cum illis non tantum esse posse, sed etiam teneri esse VNAM ECCLESIAM.* Quum porro BORKOVIVS negasset, euangelicos & Socinianos idem agnoscere fidei fundamentum; respondet NICOLAIDES: *Fatemur Christum esse fundamentum fidei. Negamus autem, omnem de Christo sententiam ad fundamentum fidei pertinere. Satis est, si credamus Iesum esse Christum. In hoc igitur quia nobis cum euangelicis conuenit, idem fundamentum fidei nos habere, iure gloriari possumus.* Vnde etiam *fratrum* nomine nos ornare non dedignantur. VAL. SMALZIVS, in *dedic. refutationis thesium Franzianarum* ad theologos Wittebergenses: *Non ista vt aduersus hostes christianæ religionis, sed vt aduersus fratres, ex nostro sensu infirmos, & in quibusdam christianæ religionis articulis adhuc errantes, scribimus, certo persuasum habentes, nos (si veræ inter nos pietatis studium vigeret) in vna ecclesia esse, vel saltem pro vna censeri.*

Huc etiam pertinent laudes, quas LVTHERO, aliisque DEI in repurganda ecclesia instrumentis, tribuunt. FAVSTVS SOCINVS operum tom. I. p. 327. *LVTHERVS homines adduxit ad eiusmodi rerum diuinarum cognitionem, quæ satis esse poterat ad salutem æternam consequendam.* MARTINVS RVARVS *cent. I. epist. XV. Ego vero Lutherum, vt magnum virum, & Dei spiritu singulariter agitatum, suspicio.* THEOPH. NICOLAIDES, in *refut. tr. de ecclesia, cap. X. pag. 94.* in Luthero agnoscit *masculum quendam Spiritum, a Deo ipsi inditum.* Et cap. I. p. 12. *LVTHERVM hæreticum esse non probari poterit vmquam. Nihil enim, quod fidem in Christum per se & sua natura tolleret, in ecclesiam inuexit &c.* STANISLAVS LVBIENIE-

CIVS, in *hist. reformationis Polonicæ* c. IV. p. 11. *In reformatione ecclesiæ vsus est DEVS impetu ignei* LVTHERI. *Adiunxit tamen ei* PHILIPPVM MELANCHTHONEM *&* BVCERVM, *quorum prudentia & moderatio magno ei fuit adiumento. Atque sic* LVTHERVS *in primo veritatis gradu constituit homines, &c.* per Socinianos scilicet deinceps, assuetis paullatim tenuiori luci oculis, vlterius ducendos. Quin, longius progressi, LVTHERVM ipsum, aliosque euangelicæ ecclesiæ propugnatores, suis partibus vindicare audaces illi calumniatores non erubescunt. VAL. SMALZIVS in *refut. thesium Franz.* p. I. *Nec illud dissimulabo, quod de* LVTHERO *literis proditum est, quod vocem Trinitatis auersatus fuerit. Vnde quis non immerito colligere possit, eum fortasse in ipsa etiam re aliquid saltem desideraſſe.* Addatur CHRISTOPH. SANDII *nucleus hist. eccles. p. 423. seqq.* qui & in *bibliotheca Antitrin.* suorum hominum numerum quouis modo augere studet.

*** Multa scilicet passim in *Catech. Racouiensi*, ac SOCINI & asseclarum scriptis, occurrunt veritatis testimonia, quæ vel ab amicis sanioribus moniti, vel ab antagonistis arctius pressi, ediderunt, quæ tamen & cum reliqua systematis ipsorum compage parum cohærent, & aliis locis ab ipsismet tecte reuocantur. Ita e. g. in *Catech. p. 15. 16.* plurima dissidia in eruendo scripturæ sensu inde emergere, recte pronunciatur, quod homines aut scripturam negligenter legunt, aut cor non adferunt sincerum & prauis cupiditatibus solutum, aut animum non habent a præiudiciis liberum, aut *auxilium diuinum eo, quo par est, studio non implorant*; quo tamen ad intelligendam scripturam non opus esse, OSTORODVS, in *instit.* cap. I. §. 5. aperte iudicat. In *Catech.* p. 173. vel edit. ann. 1609. p. 151. *Eos*, auctor inquit, *qui Chri-*

Christum non inuocant, nec adorandum censent, prorsus non esse christianos sentio, quum re ipsa Christum non habeant, & licet verbis id negare non audeant, reipsa tamen eum negent. Ibid. p. 16. volunt, *vt ad sententias, quæ in sacris literis clarissime sunt expositæ, tamquam ad principia quædam, obscuriorum locorum exigatur interpretatio, nec quidquam admittatur, quod ab illis dissideat.*

* Auctor *vindic. vnitariorum* in SANDII *biblioth. p. 274. Nequaquam hæreticus est dicendus, multo minus hæreseos obtentu vexandus, qui symbolo apostolico adhæret &c.* Et p. 275. *Dico, vnitarios non posse, illæsa veritate & charitate christiana, cum suæ fidei confessione vere catholicæ, hæreticis accenseri.* Et pag. 280. *Quæ religio cum scriptura sacra & symbolo apostolico concordat, illa sola vere catholica iure censeri debet.*

** VAL. SMALZIVS, in *refut. thesium Franz.* disp. I. p. 9. *Quo vero iure nos pro hæreticis proclamare potest Franzius? Pro hæreticis se proclamari a pontificiis indigne ferunt Lutherani, & ipsimet alios hæreseos fulmine percutiunt, quos multo minus erroris conuincere possunt, quam pontificii illos. Sed a quo illi spiritu proficisci putant istam hæreseos insimulationem in pontificiis, ab eodem etiam in sese eandem proficisci iudicent.* Sed enim aliorum etiam virorum, qui ARII vel SOCINI castra sequuntur, is mos est, vt, malæ sibi causſæ conscii, aduersus *hæresiopœiam* plenis subinde buccis declament.

Interim talibus glaucomatibus facile capiuntur homines, quibus venerabile est antiquitatis nomen, qui veritatem, vbicumque inuenitur, magni faciendam censent, qui denique abominantur multorum pruritum, qui hæreseos labem sæpe innocentibus adspergunt.

§. XI.

§. XI.

His accedit *schema honestatis ac sanctitatis externæ*,* variarumque *virtutum*,** quamuis mere naturalium, larua, qua induti & sibi ipsis placent, & alios fallunt; quin ipsam doctrinæ suæ sanctitatem ex sanctis eorum, qui illam profitentur, moribus æstimari volunt.***

* Auctor *compendioli*, quod summam doctrinæ Vnitariorum complectitur, hoc panegyrico scriptum finit: *Alioqui in ieiuniis, eleemosynis & precationibus sese gnauiter exercent, atque ita vitam instituunt, vt pietatis nomine aliis fere omnibus sectis præferantur.* SAM. PRZIPCOVIVS, in *apologia exulum Poloniæ* oper. p. 452. *In eo catholicæ Christi ecclesiæ gloriationem æmulamur & implemus, qui non opinionum delectu, sed præceptorum suorum obsequio, seruos suos censeri voluit.* Idem ille Socinianorum patronus suos homines ab ambitione, auaritia, ac voluptatum studio liberos esse, phalerata oratione contendit p. 380. Ipse SOCINVS *oper. tom. I. p. 706. 707.* puritatem ac disciplinam suorum cœtuum cum iactantia laudat, nostrisque exprobrat, omne pietatis studium in iis refrixisse, & tantum non extinctum esse. Et de pontificiorum moribus THEOPH. NICOLAIDES in *refut. tr. de ecclesia* c. XI. p. 126. *In vita ecclesiæ Romanæ, cuius caput Papa est, adparetne apostolica pietas, humiliatio, contemtus mundi, patientia, castitas, sobrietas, charitas & aliæ virtutes christianæ? Certe quicumque id adserere vellet, nimis magnus adulator esset.*

** Ita e. g. adfectant *modestiæ* ac *humilitatis* laudem, dum mysteriis christianæ religionis nuntium mittunt. Scilicet, *monente sacra scriptura, altiora se non quærunt, & ea,*

ea, quæ humanum captum excedunt, curiosa indagine violare nolunt; teste auctore *Vindiciarum* apud SANDIVM *p. 275.* Eadem modestia facit, vt memores, se homines esse, qui errare ac labi possint, paratos se profiteantur ad cedendum meliora docenti. *Non,* inquit auctor præf. ad *catechismi Rac.* editionem nouissimam, *Non erubescendum putamus, si ecclesia nostra in quibusdam proficiat. Non vbique clamandum, credimus, sto in filo, hic pedem figo, hinc me dimoueri ne tantillum quidem patiar. Stoicorum est, omnia mordicus defendere. Christiani philosophi est, persuaderi facilem esse, non pertinaciter sibi placentem, paratumque cedere sententia, vbi alia vicerit melior. Hoc animo semper nostra edimus. Si qua in re, Lector, nos extra veri viam ferri censes, amice mone. Vbi nos iustis ac solidis rationibus conuiceris, certus esto, nos non fore veritati refractarios, qua nobis nihil est antiquius.*

Moderationis laudem in proponendis suis doctrinis, refutandisque dissentientium argumentis, ambiunt, cuius inprimis FAVSTVS SOCINVS admodum fuit studiosus, præsertim in epistolis, quas partim ad apertos suorum dogmatum impugnatores scripsit, partim ad dubios atque hæsitantes; quorum plerosque tandem sibi his artibus conciliavit, quod iis noua sua dogmata non imperiose ac minaciter sub æternæ salutis iactura (vt pontificii solebant) obtruderet, sine mora deglutienda; sed ea molliter ac modeste proponeret amplectenda, atque commendaret. Nunc amice monet, nunc hortatur, nunc obsecrat aduersarios, vt errores suos abiiciant, nunc pro conuiciis consilia & supplicationes refert, nunc errantium miseretur, nunc obstinatos blandis verbis emollit, nunc repugnantes ad se leniter trahit, nunc ratiocinatur ac persuadet, denique quod

ipse conferre non potuit, a Deo petit, vt ille lucem cælestem eorum animis infundat, qui suam doctrinam oppugnarent. Exemplo rem confirmemus. IACOBVS COVETVS, Parisiensis minister euangelicus, miserat ad SOCINVM librum a se conscriptum contra theses illius *de Iesu Christo Seruatore*, sub cuius finem Socinum monet, *vt posthac malit cum scriptura credere ac sentire, quam absque scriptura ex suo sensu per deuia aberrare.* Quid ad hæc SOCINVS? *Gratias tibi ago*, inquit, *qui, quum crederes, me sententiam de Christo Seruatore nostro, veritati contrariam, & a sacris literis abhorrentem, sequi, reducere me conatus sis in viam rectam, testimoniis Scripturæ variisque rationibus; & sane pro hac non vulgari humanitate, & propensi in me animi significatione, me tibi plurimum debere, & nunc confiteor, & perpetuo agnoscam.* SOCINI operum tom. II. p. 246.

Singularem *mansuetudinem iniuriarumque tolerantiam* spirare videtur illa SOCINI ad FRANC. PVCCIVM epistola, qui paullo acrius verbisque asperioribus ipsius de primi hominis mortalitate opinionem redarguerat. *Caui*, inquit, *quantam potui, ne Te conuicio aliquo aut maledicto læderem, quamuis a Te grauiter & frequenter lacessitus fuerim. Si quid tamen mihi imprudenti exciderit, quod animum tuum offendat, vt benigne mihi id ignoscas, vehementer & summis precibus a Te peto atque contendo. Sed illud vehementius multo, præ tuæ salutis desiderio, te rogo, seu potius moneo, vt posthac, si fieri potest, aut mecum, aut cum quouis alio disputans, a conuiciis abstineas. Nam præterquam quod virum nobilem ac literatum, qualis Tu es, minime decent, & aduersarii causam iuuant; a regno DEI eum, qui ipsis deditus est, excludunt. - - Hæc si feceris, ac præterea vitæ christianæ sanctitati studueris, quidquid in hac controuersia nostra*

stra vmquam sensurus sis, ego te semper meum in Christo fratrem esse agnoscam. Deus optimus maximus pro sua clementia te numquam deserat, & studia ac labores tuos ad ecclesiæ suæ vtilitatem dirigat. Tiguri, 27. Ian. 1578. SOCINI oper. *tom. II. p. 369.*

Veritatis amorem ac *sincerum eius* ad multorum salutem *amplificandæ desiderium* redolere videntur vota, passim per libros illorum hominum sparsa. Præfatio *catech. Rac.* his verbis finitur: *Quod superest comprecamur Deum omnis gratiæ, vt, pulsis errorum tenebris, quæ incubant christiano orbi, faxit pro sua misericordia, vt omnes inoffenso pede decurramus fidei ac pietatis stadium, brabeumque æternæ salutis obtineamus, in glorioso aduentu Domini ac Seruatoris Iesu Christi, cui vna cum Deo patre sit laus, honor & gloria, in omnem seculorum perennitatem, Amen.* Catechismus ipse hac formula absoluitur: *Deus vero, vt hæc omnia menti infigas, & secundum eorum præscriptum vitam instituas, opem tibi adferat &c.* Adde VAL. SMALZII dedicationem libri *aduersus FRANZIVM* scripti, ad academiam Wittebergensem.

*** FAVSTVS SOCINVS operum *tom. I. p. 706.* incrementa cœtus Sociniani inde inter alia arcessit, quod exteri, si non magna, maiore saltem aliqua, quam aliorum sit, ipsorum *vitæ sanctitate* conspecta, omnino commoueantur, ac suspicari incipiant, *doctrinam quoque illorum meliorem, quam aliorum, esse.* E contrario ipsam per se euangelicorum doctrinam aptissimam esse, homo vanus pronuntiat, ad hominem a solidæ pietatis & vitæ sanctimoniæ studio retrahendum; quod ii etiam, qui hodie doctrinam de *satisfactione* Christi ingenti, zelo dicam, an furore? oppugnant, cum Socinianis adfirmant; qui in *catech. Rac.*

cap. VIII. p. 271. decernunt, doctrinam istam *hominibus fenestram ad peccandi licentiam aperire, aut certe ad socordiam in pietate colenda eos inuitare, vtut eius patroni pietatem vrgeant.* Similiter obseruat GVST. GE. ZELTNERVS, in *hist. Crypto-Socinismi* p. 393. Crypto-Socinianos Altorfienses *magnifice* olim *iactasse, systema Socinianæ doctrinæ præ ceteris ad id comparatum esse, vt ad vitæ christianæ sanctam integritatem, sine discrimine securitatis (quam ex doctrina de SATISFACTIONE Christi promanare calumniabantur) omnium mentes, dummodo sint sanabiles docilesque, adduceret.*

Quisquis igitur, δοκιμασίας dono destitutus, quacumque probitatis specie capitur, nec quantum distent virtutes naturales a spiritualibus, discernere didicit; is facile ad pretium aliquod Socinianis doctrinis statuendum istis virtutum spectris inducitur. *Multum enim sane momenti habet in persuasione doctrinæ intemerata sanctitas vitæ illorum, qui eandem aliis commendant, præsertim quod vita, siue laudanda, siue culpanda, putetur de doctrina loqui, vt effectus de caussa. Hæc* PELLIS OVINA *est, quæ lupos sæpe vestit, vt singularis demum prudentia sincerum pietatis lumen a fucato splendore dignoscat;* vt monet beatus WOLFG. FRANZIVS, in dedic. *vindiciarum* contra SMALZIVM.

§. XII.

Longum denique catalogum suarum *calamitatum*, * veritatis ac conscientiæ caussa toleratarum,** texere solent; quin & exempla recensent eorum, qui *mori* maluerunt, quam receptæ de Trinitate doctrinæ adsentiri.***

* Exhibet STAN. LVBIENIECIVS, in *hist. reform. Pol. p.* 278.

278. epistolam SAM. PRZIPCOVII stilo oratorio conscriptam, in qua fusius narrat calamitates, quibus inde ab anno 1648. oppressi fuere Vnitarii *in Polonia*, donec ea regiis edictis exigerentur. Ibid. p. 285. *epistola* legitur *exulum Vnitariorum*, Cruciburgi 1661. scripta, quibus fata sua tristissima ipsi exponunt. Non vero in *Polonia* solum & *Transsiluania*, quamuis ibi præcipue, horrendis modis a pontificia factione vexati sunt; sed in protestantium quoque principum terris, in *Britannia*, *Batauia*, *Porussia*, *Holsatia*, *Silesia* &c. variis calamitatibus expositi fuere; quas recenset BERNH. LAMY, in *historia Socinianismi*, gallice scripta, & Parisiis vulgata, MDCCXXIII.

** Ita nimirum miseri illi homines sibi persuadent. Exules in epist. apud LVBIENIECIVM p. 302. *Caussa exilii nostri acerbissimi est constantia fidei in Deum, fuga superstitionis & tyrannidis papalis, & omnino studium conscientiæ bonæ. Qui proinde respicere nos nequeunt vt fratres, respiciant saltem vt exules caussa conscientiæ, cuncta posthabentes obsequio Dei &c.* Hinc auctor *vindiciarum* apud SANDIVM p. 289. *Vnitarii adflicti solatium certum & efficax in illo Servatoris dicto inueniunt: Beati eritis, quando vos homines odio habebunt & adfligent propter filium* HOMINIS. *Exultate & gaudete. Ecce enim merces vestra multa est in cælis. Nullam enim aliam odii & persecutionum acerbissimarum in vnitarios caussam habetis, quam quod filium* HOMINIS, *ex spiritu sancto conceptum, ex virgine natum, esse Christum ac filium Dei, ac regem cælestem, confiteantur.* Hinc etiam SAM. PRZIPCOVIVS *operum p. 453.* Polonos non impune hanc scilicet Dei pupillam tetigisse putat: *Illuc*, ait, *vnde eiecti sumus, sæuissima tempestas & procella malorum incubuit, continua ab hostibus damna, perpetuæ a milite iniuriæ, pau-*

pertas omnium ordinum, - - denique cumulus omnium malorum. At e diuerso nobiscum vna migrauit in has Poruſſiæ *oras alma pax & benedicto Dei &c.*

*** Vti olim pro *Arii* doctrina S. LVCIANVM, & S. GEORGIVM, aliosque, ſanguinem profudiſſe, CHRISTOPH. SANDIVS in *nucleo hiſt. eccleſ. p. 128. 220.* tradit; ita recens Anti-Trinitariorum turba martyres colit HETZERVM, SERVETVM, GENTILEM, SYLVANVM, aliosque. De LVDOVICO HETZERO, qui in Heluetia anno 1526. librum contra Chriſti diuinitatem ſcripſit, cura ZWINGLII ſuppreſſum, CHRISTOPH. SANDIVS in *nucleo hiſt. eccleſ. p. 424. Docuit, ſolum patrem eſſe ſummum Deum; Chriſtum non eſſe æqualem Deo patri, ſed eo longe inferiorem, nec eiusdem cum eo eſſentiæ. In vno Deo non eſſe tres perſonas, &c. ob quæ dogmata interemtus eſt*; quamuis alii id *adulterii* cauſſa factum eſſe ſcribant. De MICH. SERVETO Hiſpano, profeſſo Trinitatis hoſte, ac blaſphemo exagitatore, Geneuæ 1553. exuſto, quem tamen NICOLAIDES *ſuum in Chriſto fratrem* vocare haud erubeſcit, de hoc, inquam, Serueto FAVSTVS SOCINVS *aduerſus Wujeckum tom. II. oper. pag. 536. Præclariſſime ſenſit SERVETVS de Chriſto Domino, quem etiam, quum ad ignis ſupplicium duceretur, palam inuocare non dubitauit, licet, vt ii voluiſſent, qui eum ducebant, noluerit vmquam æternum filium Dei, ſed tantum æterni Dei filium eum confiteri: quæ ipſius conſtantia in extrema illa hora teſtimonium dicet aliquando contra eos, qui morti illum adiudicarunt.* Conf. ven. IO. LAVR. MOSHEMII hiſtoria SERVETI. IO. VALENTINVS GENTILIS ſtatuebat, Deum in æternitate ſpiritum quendam excellentiſſimum creaſſe, qui deinceps incarnatus fuerit. Hinc magiſtratus Bernenſis ei, tamquam homini perfido & blaſphemo, 1566. inflicta gladii pœna, vivendi

vendi finem fecit. IO. SYLVANVS, Inſpector eccleſiæ Ladenbergenſis, prope Heidelbergam, Chriſtum non niſi propter heroicas, quibus *velut alter Hercules*, excelluerit, virtutes Deum adpellari ſomniabat, ac propter multas, quas contra Trinitatem effutiuerat, blaſphemias, cum perduellionis crimine coniunctas, Heidelbergæ 1572. reſecto collo occubuit. Vid. STEPH. LVBIENIECII *hiſt. reform. Pol. lib. II. c. V.* & FRID. SPANHEMII *elench. controuerſ. p. 165.* Similiter in Italia IVLIVS TREVISANVS ac FRANC. de RVEGO, in Polonia FRANCVS FRANCI, in quatuor partes diſſectus, & IOANNES TISCOVITIVS, qui poſt linguam exſectam, manusque ac pedes amputatos, ac caput detruncatum, inſtigante legato Papæ Romani, combuſtus eſt, quod per Trinitatem iurare recuſaſſet; in Anglia PATRICIVS PATINGHAM, MARTIANVS, WIGHTMANNVS, aliique plures, pœnam capitis ſubierunt. IO. BIDELLVS (de cuius vita & obitu IO. FRID. MAYERVS commentatus eſt) in carcere obiit. Alii aliis modis mulctati ſunt.

In *libros* quoque nonnullos Socinianorum, magiſtratus iuſſu, carnifices ignem immiſerunt; quæ publica cenſura in ipſum *catechiſmum Racouienſem* 1610. in quosdam CONRADI VORSTII libros 1611. in BVRII *nudum euangelium* 1690. in *Anglia* ſtatuta eſt. *Altorfi* libros Socinianos quam plurimos 1616. publica auctoritate combuſtos fuiſſe, ven. ZELTNERVS fuſius narrat in *hiſtoria Crypto-Sociniſmi p. 517. ſeqq.* Idem *Leouardiæ* factum eſſe CVRCELLAEVS exponit RVARO, epiſt. Ruari *cent. I. ep. 85.* Idem ep. 86. Amſtelodami 1642. contigiſſe ſcribit, vt operis Volkeliani vltra quadringenta exemplaria, typographo erepta, publicis flammis traderentur, quod Trinitatis dogma ad Satanam auctorem in illis referretur.

Ceterum

Ceterum hæc ita comparata sunt, vt Socinianis aliorum partim commiserationem, partim fauorem concilient. Infirmiores enim ac simplices homines, quum sciant persecutiones, religionis causſa inflictas, esse opus antichristi; facile inde concludunt, eos qui talia patiuntur, testibus veritatis ac regni Christi ornamentis esse accensendos; maxime quum vident, persecutores magnis esse multisque vitiis deditos; vexatos autem & honeste viuere, & facile bonorum omnium ipsiusque vitæ iacturam redimere potuisse, si ad ecclesiæ Romanæ castra transire, aut mutare sententiam voluissent.

Atque hæc sufficiant de præcipuis tegumentis, quibus pellis ouina, Socinianis obducta, constat. Ad eam nunc *detrahendam* calamum, bono cum DEO, conuertamus.

SECTIO II.
PELLIS OVINA SOCINIANIS DETRACTA.

SYNOPSIS.

Examini subiicitur fraudisque conuincitur:

I. Socinianorum Zelus pro vnius DEI patris gloria, §. I.

II. Querela de malis nostrorum cœtuum moribus, bonisque suorum, §. II.

III. Amor sacræ scripturæ, §. III.

IV. Odium humanarum credendi formarum, §. IV.

V. Auersatio pontificiæ societatis, §. V.

VI. Simplicitas fidei, verba scripturæ terminis ecclesiasticis atque scholasticis anteponens, §. VI.

VII. Detrectatio cognomentorum humanorum, §. VII.

VIII. Laus tolerantiæ libertatisque conscientiarum, §. VIII.

IX. Studium dissentientes reconciliandi, §. IX.

X. Professio consensus cum ecclesia primitiua & euangelica, §. X.

XI. Schema externæ sanctitatis, §. XI.

XII. Ostentatio calamitatum, conscientiæ causſa exantlatarum, §. XII.

Epilogus dissertationis, salutaria monita complectens. §. XIII.

§. I. Dum

§. I.

DUm pedem proferimus ad pellem ouinam, qua se Sociniani ornant, eis detrahendam, vestigia, priore sectione designata, relecturis primo loco occurrit *Zelus, quo pro vnius DEI patris gloria vindicanda inflammati videntur.* At enimvero fatuum esse illum ignem, a Patre luminum minime accensum, facili demonstrari negotio potest.

OBSERVATIONES.

1. *Quisquis doctrinæ Socinianæ systema vel fugitiuo oculo perlustrat, tales in eo deprehendit errores, qui Dei gloriam vehementer obscurant ac lædunt.* Est nimirum *DEI GLORIA ille infinitæ eius eminentiæ, ex summis perfectionibus elucentis, fulgor, a creaturis ratione præditis agnoscendus ac manifestandus;* quod fit, si talis *agnoscatur,* qualem se in verbo suo patefecit, ac eo modo *colatur,* quem ibidem præscripsit. Quisquis igitur aliter de Deo cogitat, sentit ac loquitur; quisquis aliter eum colendum esse docet, quam sese & manifestauit, & coli se velle edixit; is gloriam eius summam lædit atque obscurat. Quo posito, facile est ad comprobandum, multis modis crimen læsæ gloriæ diuinæ a Socinianis committi. Nam

a) Istas Deo abrogant *perfectiones*, immutabilitatem, simplicitatem, infinitatem, omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam, iustitiam, cet. ob quas summo honoris cultu a nobis celebrari meretur. Istas vero DEI perfectiones a Socinianis labefactari, pluribus probat IO. GERHARDVS, *disput. theol. part. I. p. 199. seqq.*

b) Manifestas Deo obtrudunt *imperfectiones*, adfectuumque perturbationes; vti IO. CRELLII liber *de DEO & attributis diuinis*, atque CONR. VORSTII *de Deo* meditationes abunde docent. Conf. ABR. CALOVII *opera elenchtica Anti-Sociniana*, *part. II. p. 45. seqq.*

c) Gloriam *Patris* cælestis minuunt, dum eum privant filio, ex sua natura ante secula genito, patrumque patri, ἐξ ὃν πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, vix vmbram paterni nominis reliquunt. Conf. *Hebopfer* part. XXI. p. 96.

d) *Filium*, illum gloriæ paternæ splendorem Ebr. I, 3. æternæ diuinitatis gloria exuunt, quam ante mundum conditum apud patrem habuit, Ioan. XVII, 5. dumque aliam, præterquam hominis, naturam in eo agnoscere renuunt (coll. *proœm. diss. p. 8.*) non nisi factitiam ei deitatem, quam *veram* fraudulenter adpellant, sed *summam* esse negant, concedunt; vti nuperrime anonymus vnitarius im *Hebopfer part. XXXIX. p. 841. DEVS verus aut* FALSO *opponitur aut* MINVS PERFECTO. *Priore sensu Christum verum viuumque Deum dici posse, concedimus; posteriore negamus.* Sed posterior ille sensus putidum ingenii humani commentum est, nulla nixum scripturæ auctoritate, quæ discrimen inter *Deum perfectum & minus perfectum* prorsus ignorat. Hinc filii etiam æternam ex patris essentia generationem negant, quam contradictionem implicare friuole temereque pronuntiant in *catech. Rac. p. 58.* Hinc eum ab opere creationis ac conservationis cæli terræque excludunt, in *cat. p. 72. 89.* infinitamque illam gloriam, quæ in eius officio sacerdotali, prophetico & regio eluceſcit, errorum tenebris totam inuolvunt.

e) *Spiritus sancti* gloriam obfuscant, dum eum diuinitatis

nitatis hypostasin esse negant, in *catech. p. 253.* dum eius æternam a Patre & filio processionem fabulis adnumerant, teste SMALZIO *contra Franzium p. 4.* dum eum ad credendum euangelio opus non esse pronuntiant, in *catech. p. 252.* dum denique adorationis cultum ei negant, quem aduersus GVIL. WHISTONVM, qui Spiritum sanctum habet pro *creatura* filii, ex nihilo producta, egregie ei vindicauit B. GOD. OLEARIVS in diss. *de Spiritus sancti adoratione & glorificatione.*

f) Gloriam *cultus religiosi*, quam sibi soli adserit Iehoua, ad Christum, in quo præter humanam naturam ipsi diuinam nullam agnoscunt, sacrilego ausu transferunt.

g) Gloriam præstitæ per consummatam obedientiam *satisfactionis*, qua humanum genus cum Deo, effuso proprio sanguine, reconciliauit, Filio negant. Eum enim æquivalentes pro peccatis nostris pœnas persoluisse, & obedientiæ suæ pretio inobedientiam nostram exacte compensasse; id iudice *catechismo Rac.* p. 269. *sententia tum fallax est & erronea, tum admodum pernitiosa.* Ex mente enim SOCINI de Christo Seruatore lib. III. c. 5. *non magis, quam quilibet alius homo, potuit pro aliis legem diuinam seruando satisfacere, quia ipse eam seruare omnino debebat.*

h) Gloriam *iustificationis*, quatenus illa sola Christi iustitia, nobis imputata, ac fide apprehensa, nititur, Christo ademtam, sibi vindicant, dum propria obedientia viam sibi ad salutem parare contendunt. *Quid mirum est*, inquit SMALZIVS, *nos damnare fidem in meritum Christi, quum nullum meritum agnoscamus, & pro nugatoria fabula id totum habeamus? Per fidem*, vel potius *propter fidem* in Christum, quando peccatorem iustificari adserunt, *catech. p 317.* per fidem nihil aliud intelligunt, quam obseruantiam mandatorum Christi. Vnde SOCINVS, *de fide & operibus* oper.

tom. II. p. 249. *Deus per opera, h. e. per obedientiam præceptorum Christi nos iustificat, & consequenter ex Dei bonitate plurimum opera valent ad vitam æternam consequendam.* Ipsi igitur criminis læsæ gloriæ diuinæ rei sunt, cuius nos accusant, *incendiariis similes*, obseruante IO. GERHARDO *disp. theol. part. I. p. 194.* Vti enim illi, quando ædibus ignes subiecerunt, accurrunt, situlas adferunt, seque in restinguendo igne strenuos simulant, ne ipsorum facinus deprehendatur: ita Sociniani, postquam incendium in religione christiana excitarunt, conqueruntur, a nobis illud esse ortum, sibique nihil aliud, quam *gloriæ diuinæ illustrationem* esse propositam, profitentur.

2. *Non modo DEI gloriæ hoc modo tenebras offundunt, sed diras insuper blasphemias, in ea ipsa christianæ religionis mysteria euomunt, in quibus gloria amoris, sapientiæ, misericordiæ potentiæque diuinæ, quam maxime eluceſcit.* Idem enim ille spiritus blasphemiæ, qui SERVETI linguam calamumque rexit, vt in libro *de Trinitatis erroribus* filium Dei *mathematicum illum filium, secundam rem, humanitati hypostatice, hoc est, asinaliter, vnitam &c.* adpellaret, Socinianos etiam obsedit. Profecto ne contra gentium quidem idola, istosque impios, quibus illa colebantur, ritus, ita se gesserunt apostoli, act. XIX, 37. ac isti homines erga Deum christianorum, qui ab ipso Christi & apostolorum æuo in trinitate hypostasium adoratur & colitur, atque erga veneranda fidei christianæ mysteria sese gerunt: dum hæc vt absurda summeque pestifera & pernicioſa insectantur; illum vero scommatibus & opprobriis fœdissimisque conuiciis proscindunt. Ita adorandum trinitatis mysterium SMALZIVS in *refut. thes. Franz.* p. 5. *somnium Athanasii*, p. 10. *absurdissimam de Dei essentia opinionem, nugis* adnumerandam atque *exsibilandam*, p. 2. *monstrosum*

dogma

dogma & vaniſſimum hominis commentum, adpellat. De ἐνσαρκώσει filii idem impurum os, p. 9. *Logi* ſeu fabulæ *ſunt, quidquid de iſta monſtroſa ſententia de λόγῳ incarnato hodie plerique ſentiunt.* Alibi ἐνσάρκωσιν vocat *putidam & vere monſtroſam fabulam, cuius mox pudebit chriſtianos omnes.* Idem p. 68. vnionem hypoſtaticam *magnas nugas*, & OSTORODVS *merum commentum curioſorum hominum* nominat; vt alia conuiciorum portenta taceamus.

3. *Per noſtram de diuinitate filii & Spiritus ſancti doctrinam gloria vnius veri DEI non obſcuratur, ſed quam maxime illuſtratur.* Hæc enim, vt diximus, eſt DEI gloria, vt talis agnoſcatur, celebretur, & colatur, qualem ſe in verbo reuelauit. Iam autem verbo iſto docemur, quod DEVS pater ab æterno genuerit filium, naturæ ſuæ participem, ſuæque gloriæ expreſſam imaginem, & quod a Patre & Filio Spiritus ſanctus procedat. Tres igitur illos, qui vnum ſunt, teſtes 1 Ioan. V, 7. quando pari honoris cultu veneramur, vnicuique tribuimus gloriam, eius naturæ competentem. Non imminuitur gloria Patris, quando Filium eius participem eſſe profitemur. Gloria enim Filii, propter eſſentiæ vnitatem, Ioan. X, 30. eſt etiam gloria Patris, qui vult, *vt omnes honorent filium*, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα, *ſicut honorant patrem*, Ioan. V, 23. Quicumque igitur ita honorat Filium, vt Pater honoratur, hoc eſt, qui honorem ipſi tribuit, honori Patris æqualem, is minime imminuit Patris honorem. Immo vero, *qui non honorat Filium*, ſcilicet, vt nexus verborum & oppoſitio poſtulat, eo modo, quo Patrem honorat, *is nec honorat Patrem, qui miſit illum.* v. 23. Atqui eius criminis rei ſunt Sociniani. Aperte IONAS SCHLICHTINGIVS: *Cultus, qui Chriſto filio competit, gradu quodam minor ac inferior eſt, quam cultus Patris.* Et in

catech. Rac. sect. VI. cap. I. p. 172. ad quæstionem: *Estne aliquod inter honorem Dei & Christi discrimen?* respondetur: *Hoc, quod Deum adoramus & colimus tamquam causſam primam ſalutis noſtræ; Christum tamquam ſecundam,* (quæ vero ab instrumentali non differt.) *Ac porro ad Deum, tamquam vltimum ſcopum, honorem illum dirigimus; ad Christum tamquam intermedium.* Clarum igitur est, Socinianos non exhibere Filio honorem, Patris honori *æqualem.* Ergo nec Patrem honorant, pro cuius gloria decertare videntur. Quod dum nos facimus faciendumque docemus, non sine summa iniuria læsæ gloriæ diuinæ crimen nobis imputatur. Accedit, quod dum Filium ante mundum conditum a Patre generatum esse Sociniani negant, simul, vi relationis, negant, Patrem esse æternum Patrem. Aperte VAL. SMALZIVS contra Franzium p. 40. *Nullus æternus, hoc est, ab æterno filius; vnde & æternus pater, qua pater, nullus est.* Merito igitur illos SEDVLII verbis compelles:

Nonne Patrem violas, dum Natum ſcire recuſas?
Nec vocitare Patrem potis es, quem germine fraudas.

Noſtram contra doctrinam ea quoque in re Patri suam gloriam adserere, solidissime ostendit auctor obseruationis: Untersuchung der Frage: *Ob die Socinianer mit ihrer Lehre GOtt dem Vater ſeine Ehre vindiciren; oder aber ob GOtt der Vater durch unſre Lehre von ſeinem Sohn, Jeſu Chriſto, recht geehret werde?* im *Berl. Hebopfer, part. XXI. p. 55. ſeqq.*

4. *Recte igitur illorum hominum pro vnius DEI patris gloria Zelum contuleris cum Zelo Iudæorum*, quo exardescebant, quoties Seruator optimus talia sibi in sermonibus suis tribuebat, quæ illi ad solum DEVM pertinere, nec sine eius iniuria in nudum hominem (qualem illum esse credebant) transferri posse arbitrabantur; de quo Paulus: ζῆλον

θεὸ ἔχουσιν, ἀλλ' ὁ κατ' ἐπίγνωσιν, Rom. X, 2. Hic Zelus blasphemias aduersus Christum ipsorum linguæ, hic lapides ipsorum manibus suggerebat, Ioan. VIII, 48. 58. c. X, 30. 31. Hic summum pontificem incitabat, vt, audita Iesu Christi de summa sua diuinitate confessione, vestem discinderet Matth. XXVI, 64. 65. Hic Saulum in furorem agebat, vt, minas spirans ac cædes, Christi discipulos persequeretur, & ad diris ipsum deuouendum suppliciorum atrocitate nonnullos cogeret Act. IX, 1. c. XXVI, 11. Nimirum vnius DEI gloriam a christianis lædi sibi persuadebat, quod Christum DEO Israelis æqualem esse profiterentur.

§. II.

Querelæ, quas de malis euangelicorum cœtuum moribus, deque disciplinæ, in iis prorsus collapsæ, iactura passim effundunt, quamuis aliquam veri speciem habeant, eodem tamen loco, quo *laudes*, quibus sanctos suorum cœtuum mores ad cælum tollunt, habendæ sunt.

OBSERVATIONES.

1. *Multos esse inter ecclesiæ euangelicæ ciues, qui sanctam, quam profitentur, doctrinam minime sanctis moribus ornant, cum dolore fatemur.* Vtinam falsa diceret SOCINVS in libro: *Quod regni Poloniæ homines euangelici se debeant Socinianorum cœtui adiungere, oper. tom. I. p. 705. seq.* quando euangelicos accusat, quod multa sibi permittant, quæ ab ipsorummet magistris improbantur; quod multi ad domini cœnam libere admittantur iis moribus præditi, qui genuinum Christi discipulum haud decent; quod apud plures veræ pietatis studium prorsus refrixerit; quod multi doctores in stimulandis auditoribus ad vitam pie sancteque agendam

dam non satis diligenter suo munere fungantur; quod magnus inter ipsos neglectus spiritualis coercitionis cernatur. cet. Experientiæ reclamaret, qui hæc talia prorsus negare vellet.

2. *Dolemus porro, fuisse quosdam, qui impia multorum euangelicorum vita, qui academiarum vitiis, qui altercationibus theologorum offensi, ad Socinianorum castra transierunt.* Contigisse id videtur ANDREAE DVDITHIO, episcopo inter Hungaros celeberrimo, & cleri Hungarici ad concilium Tridentinum legato, qui quum, animaduerso Romanæ ecclesiæ fœdo atque insanabili morbo, euangelicorum sacris sese adiunxisset, ab his quoque ob multa, quæ inter ipsos obseruabat, vitia ad Socinianorum Polonorum partes transiit. Ipse in epist. ad 10. WOLFIVM, Tigurinum theologum, oper. SOCINI tom. I. p. 515. *Ita est, vt scribis, magno equidem & forti animo extra Romanæ ecclesiæ castra pedem extuli. Sed illud dissimulare nolo, mi Wolfi, ex omnibus aduersis rebus nihil mihi ita acerbum accidere posse, quod eum dolorem æquare possit, quem capere soleo, quoties animo repeto, quam pugnaces, quam aduersariæ sint tum alibi, tum in hoc regno, ecclesiæ, quæ tamen reformatæ vocari & haberi volunt. - - Deum immortalem, in quo tandem religionis capite congruunt inter se ecclesiæ, quæ Romano pontifici bellum indixerunt? - - Quod ad mores attinet, ne in hac quidem parte Vestri pontificiis multo meliores esse videntur.* Idem in epist. ad THEOD. BEZAM p. 519. *Apud eosne ecclesiam esse dicam, qui contraria omnia faciunt, si mores aspicias, quam est eis a magistro suo præscriptum? Si fructus, qui ex vestra prædicatione colliguntur, inspicimus, quæso, quos dicemus germanos Christi discipulos?* Hinc tandem factum est, vt ingenium illud magnum quidem, sed scepticum, Socini tandem de Deo & Chri-

& Christo sententiam amplecteretur, quamuis postremo vitæ tempore in externa euangelicæ ecclesiæ societate Vratislauiæ viueret, intus, vt lubebat, sentiens, iudice ven. ZELTNERO, in notis ad RVARI *epistolas p. 352.* Conf. LAVTERBACHII *Socinianismum Polonicum, p. 227. seqq.* & *Observ. select. tom. V. obs. XI.* Idem ZELTNERVS p. 380. de ipso RVARO obseruat, eum partim specie sanctitatis Socinianæ, partim *offendiculis scelerum, inter nostros grassantium*, a via recta in deuia abreptum fuisse. Similiter VAL. SMALZIVS, conspecta dissoluta concionatorum vita, inductum se fuisse ad mutandam animi de religione euangelicorum sententiam, in *Diario* suo profitetur, apud ZELTNERVM in *hist. Crypto-Socin. p. 1161.*

3. *Fuerunt tamen in ipsa ecclesia nostra viri prudentes ac pii, qui istos non solum morbos obseruarunt, vtque emendarentur, serio optarunt, sed medicas etiam ad istos tollendos restituendamque disciplinæ sanitatem manus attulere.* Videatur IO. SAVBERTI *Zucht-Büchlein der Evangelischen Kirche*, iunganturque, qui *pia desideria* publicis scriptis vulgauere, quorum notitiam ven. ZELTNERVS singulari schediasmate suppeditat. Cordate etiam BALTH. MEISNERVS, theologus Wittebergensis, in *breui consideratione theologiæ Photinianæ* p. 896. *Sane morum dissolutio apud multos nunc cernitur, exspirauit antiquus feruor, maiorum probitas non adparet amplius. Hinc optamus ex animo, & optant nobiscum plurimi boni, vt seria de disciplina acuenda & seuera morum correctione instituantur consilia. Censemus omnino fore vtilissimum, si liberior censura ecclesiastica, & plenior vsus clauis ligantis, ministerio restitueretur.*

4. Idem tamen MEISNERVS obseruat *p. 893. non omnem in vniuersa ecclesia euangelica penitus collapsam esse disciplinam,*

nam, sed certam tantum eius speciem, EXCOMMVNICATIONEM, cuius rigor in particularibus cœtibus alibi quidem quodammodo obseruetur, alibi intermittatur, idque non ex religionis nostræ principiis, sed aliis ex caussis, quas *p. 895.* recenset. Supereſſe etiam inter nos genuinæ pietatis cultores, THEOPH. NICOLAIDES concedit in *refut. tr. de eccleſia cap. X. p. 94. Equidem non paucos noui Lutheranæ religionis miniſtros, homines vere modeſtos & humiles, & ſolida pietate in Deum & homines inſignes.* Et MARTINVS RVARVS *cent. II. epiſt. I.* poſtquam dixerat, virtutem ex ciuitate euangelica in exilium eſſe actam, addit: *Dico de eo, quod plerumque fit. Nam quin pauci, in quibus antiqua pietas veras radices egit, ex aceruo vulgari ſint excipiendi, non nego.*

5. *Vti vitæ diſſolutio atque impietas ex doctrinæ euangelicæ principiis minime ſequitur,* quæ potius, ſi intra animum admittantur, hominem formant ex intima cum Ieſu Chriſto per fidem coniunctione ad omnes bonas actiones idoneum: (vti pluribus demonſtrat B. SEB. SCHMIDIVS, in tr. *Lutheriſche Frömmigkeit*) *ita temerarium foret, ideo damnare ac deſerere cœtum euangelicum, quia non omnes vitam ſanctæ doctrinæ conſentaneam gerunt, aut quia ſeuerior publicæ excommunicationis diſciplina in eo deſideratur. Nemo,* recte ait MEISNERVS, loc. cit. p. 892. *hoc ſtrategemate ſe patiatur ſeduci, ſed maneat in iſto cœtu, in quo publice ſonat doctrina verbo Dei conſentanea. Si cernit quosdam defectus, non deſerat eccleſiam, ſed illos cum aliis corrigere ſtudeat. Tollendi ſunt abuſus, non autem propter illos abneganda eſt veritas &c.*

6. Multum quidem SOCINVS *libro cit.* de cœtuum, ſuæ doctrinæ addictorum, ſanctitate, deque diſciplinæ in iis vigentis ordine gloriatur; quod & alii non ſine iactantia fecerunt.

runt. MART. RVARVS *cent. II. epist. I.* HEINONI VOGLERO refert, veniſſe ad ſe nuper SEGETVM aliquem, Britannum, qui ſibi narrauerit, ſe quum *Racouiæ*, minoris Poloniæ oppido, Socinianis referto, data opera tranſiiſſet, *putaſſe, quod in alium terrarum orbem delatus venerit. Quum enim alibi bellis omnia & tumultu perſtreperent, ibi quieta fuiſſe omnia, homines ſedatos, & ad modeſtiam compoſitos, vt angelos exiſtimare poſſis.* At enim vero mores ſedati, & ad modeſtiam compoſiti, multum adhuc diſtant a vera illa *ſanctitate*, veræ eccleſiæ ornamento Pſal. XCIII, 5. Hanc ii etiam in Socinianorum cœtibus deſiderarunt, qui alioqui pro ipſorum doctrinis pugnauere. DANIEL ZWICKERVS, qui eadem de Chriſto, ac Socinus, credidit, in *ep. ad Ruarum cent. I. epiſt. 73. p. 273.* Socini aſſeclas a fratrum Morauorum pietate longe abeſſe confidenter pronuntiat: *Monſtra*, ait, *inter noſtros, qui proximum vt ſe ipſum & absque auaritia diligat, monſtra vere & ſecundum Chriſtum liberalem, monſtra diuitem vere temperantem & voluptatibus omnibus renunciantem: monſtra de ſententia Chriſti iuſtum &c. Non enim ſatis eſt dicere: Eſſe ſane, qui laudatas has virtutes ſinguli exerceant. Eccur vero tales vel a me, vel ab aliis, tanto temporis interuallo, quo fratres cognoſcimus, non ſunt animaduerſi? Nimirum hoc ipſum eſt, mi Ruare, NB. in eccleſia noſtra Satanam ſeſe nonnumquam in angelum lucis transfigurare, & ignaris, aut incautis, aut iam ſatis ditatis, SVB ALIQVA PIETATIS SPECIE facile imponere.* Et in eadem epiſtola p. 283. *Pugnæ, certamina, lites, ſuperbia, auaritia &c. ea demum vitia illa ſunt, propter quæ abſtineri a ſacris veſtris debere Moraui fratres cenſent. Neque vitia illa a me vobis adfricantur: ſed adeo vera, clara, conſpicua, manifeſta & notoria ſunt, vt & extranei nobis eadem ſæpius obiectent.*

7. *Ac certe istam de sanctitate vitæ, in Sociniano cœtu spectata, famam, plus habuisse iactantiæ, quam veritatis*, ex *scrupulis* etiam illis, quos vir quidam excellens, in Socinianorum partes inclinans, SOCINO proposuerat, coniici potest, qui exstant SOCINI *oper. tom. I. p. 327.* Scrupulus XIII. sic habet: *Si hæc* (quam Sociniani profitentur) *esset vera doctrina Iesu Christi, cur per tales viros manifestaretur, nulla pietatis commendatione conspicuos, nullo laudato prioris vitæ exemplo commendatos, immo, vt plerumque videmus, per vagabundos & contentionum Zeli carnalis plenos homines, alios ex lustris, aulis, ganeis, prolatam esse.* Scrup. XIV. *Vbi vero humilitas Spiritus, vbi studium multa condonandi aduersariis, quod apostoli fecerunt?* Scrup. XVI. *Vbi ieiuniorum & orationum feruor? Nonne hæc omnia dissoluta apud tales, & in aliis deprehensa, vt hypocritica.* Scrup. XVII. *Vbi vero tales, qui extremo loco ponant curam rerum mundanarum, opum, honorum, splendoris, prædiorum, clientelarum? Quæ omnia neglexisse constat apostolos. Nostros vero hæc prima habere, mordicus, diuites esse velle.* Scrup. XVIII. *Huius autem illorum Zeli quis tandem finis sit, inde patet, quod plerique quum deferbuerint, in quendam ATHEISMVM prolabantur.* Scrup. XX. *Quum eandem veritatem se profiteri affirment, quam olim & primitiuæ ecclesiæ architecti; cur non ea vis Spiritus sancti in iis appareat, quorum plerique carnalia & mundana curare conspiciantur?* Scrup. XXVI. *Qui fiat, vt, tanto tempore vulgatæ confessionis huius, ecclesiæ incrementum neque in numero, neque in pietate sumant?* Plurima, quæ hic Socinianorum cœtibus obiiciuntur, nec ipse SOCINVS in *responsione ad scrupulos* diffiteri audet, quamuis excusationes quasdam adferre conetur, at minime iustas & idoneas. Ad scrup. XVIII. ex. gr. *Hic*, inquit, *nihil aliud dicen-*

dicendum videtur, quam id, quod olim Ioannes apostolus dixit: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Ad scrup. XX. *Quod nostri carnalia & mundana curent, ridiculum mihi plane obiectum videtur.* Ad scrup. XXVII. *Quod ad pietatem attinet (de cuius tamen incremento aut diminutione inter nostros homines nihil ausim adfirmare) nihil mirum videri deberet, si ea nullum incrementum accepisset. Hoc enim perpetuum est in omni religionis mutatione, quantumuis bona, vt scilicet maior sit ab initio pietas, quam postea.*

8. *Quidquid sit de externa Socinianorum cœtuum* εὐταξία, si vel seueriſſima in iis olim floruiſſet diſciplina eccleſiaſtica (quam ſane metus aduerſariorum, mores ipſorum velut ex inſidiis obſeruantium, ex ipſis prudentiæ politicæ regulis requirebat) *non tamen inde concludi potuisset, doctrinam ipsorum cœtuum euangelicorum doctrina esse puriorem.* Multo minus vero admitti poteſt abſurda SOCINI concluſio, qui in reſp. ad ſcrup XXVII. *Non sunt, fatemur, nostri homines cum illis christianæ religionis coryphæis & anteſignanis comparandi: nihil tamen dubitamus, quin multo purior doctrina apud nos sit, quam apud alios quosuis in hoc regno.* Miſeram hæc iactantiam aperte ſpirant.

§. III.

Sacrarum, quem præ ſe ferunt, *ſcripturarum amor* eo nomine prorſus indignus eſt. Nam & multas fouent hypotheſes in ſcripturam iniurias, & eam, miſere diſtortam, ſuis hypotheſibus ſervire per vimque fraudemque cogunt.

OBSERVATIONES.

1. *Omnis veneratio, quam sacris literis debemus, in divina earumdem origine atque auctoritate fundatur. De hac*

vero Sociniani numquam fide diuina certi esse possunt, quum, posthabito supernaturali Spiritus sancti testimonio, meris rationibus naturalibus in ea demonstranda innitantur; vti satis patet ex FAVSTI SOCINI libello de *auctoritate scripturæ*, docto quidem, sed meris ratiociniis, humanæ fidei gignendæ aptis, referto; in quo insuper, quæ vna manu concedit, altera rursus tollit, dum cap. V. argumenta, quibus scripturæ auctoritas probatur, non esse talia adserit, quibus se nemo queat opponere, quæque vnicuique eius rei certam & indubitatam fidem faciant; immo errare, qui eiusmodi postulent argumenta; SOCINI *oper. tom. I. p. 279.*

2. *Quidquid isti homines de scripturæ certitudine, perspicuitate atque sufficientia declament, aliis tamen eam modis multiplici ignominia adficiunt*, eiusque honorem lædunt. Nam

a) *Veteris Testamenti eleuant auctoritatem*; frustra id negante SMALZIO, in præf. ad refutationem thesium Franzii. SOCINVS de auctor. Script. p. 271. *Si recipiatur N. T. non potest ad ipsam religionis summam quidquam fere momenti habere quæcumque V. T. deprauatio. Adeo vt vtilis quidem sit lectio V. T. christianis; non tamen necessaria.* Quin sæpe contemtim de testimoniis, ex V. T. contra ipsos allatis, loqui consueuerunt. NICOLAIDES contra Miedzibozium p. 68. *Recipitur quidem testimonium prophetæ, sed plus valuisset, si apostolus dixisset.* VAL. SMALZIVS in resp. ad noua monstra Arianismi p. 79. *Parum curandum est, quid dicat de cultu Dei propheta V. T.* Et in refut. thes. Franzii p. 359. *Nihil facit* FRANZIVS, *dum locum adfert ex Ezechiele. - - Nam quæ Deus ordinarie præstare vult, ea ex lege petenda sunt; non autem ex aliquo propheta, qui multis post latam legem seculis extitit.*

b) San-

b) Sanctos Dei homines in scribendis sacris historiis errare ac labi potuisse asserunt. SOCINVS certe in *lection. sacris* tom. I. oper. p. 301. facile a se impetrare potest, vt *lapsus memoriæ* sanctis scriptoribus tribuat; quamuis IO. LVD. WOLZOGENIVS, in comm. *ad Matth. I, 22.* pronuntiet, quod Spiritus sanctus infirmam ac labilem euangelistarum memoriam ab errore lapsuque præseruarit.

c) Christum sæpe studiose adfectasse in verbis suis obscuritatem aiunt. SMALZIVS contra Franz p. 81. *Christus ita locutus fuit studio, vt hoc & illo modo verba eius intelligi possent, vt homines improbi haberent, quod speciose carperent. Hic enim Christi mos fuit, homines improbos sermonibus suis velut intricare.*

d) In summis fidei mysteriis perplexitatem obscuritatemque scripturæ accusant. Ita GE. ENIEDINVS, in *explic. locorum p. 136. seqq.* initio euangelii Ioannis *concisam minusque sibi cohærentem obscuritatem* tribuit, *eiusque lectorem perinde attonitum hærere cauillatur, ac* SOCRATES, *lecto Heracliti* σκοτίνῳ *libro.*

e) Fidei articulos, claris & disertis verbis in Scriptura propositos, non tamen ideo credendos esse statuunt, si a rationis iudicio non approbentur. FAVSTVS SOCINVS de Christo Seruatore part. II. c. VI. tom. II. oper. p. 204. *Quæ fieri non posse aperte constat, ea, etiam diuinis oraculis, ea facta fuisse, in speciem attestantibus, nequaquam a nobis admittuntur. - - Ego quidem, etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monumentis scriptum extaret; non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem, vt vos opinamini.* Et cap. II. p. 194. *Si vbique clarissimis verbis in Scriptura testatum reperiremus*, Christum nostrorum criminum pœnas luisse, *sic tamen rem se habere, nobis nondum compertum esset.* Similiter

ter VAL. SMALZIVS in initium euang. Ioannis hom. VIII. p. 89. ed. Racov. *Credimus, etiamsi non semel atque iterum, sed satis crebro & dissertissime scriptum extaret, Deum esse hominem factum: multo satius esse, quia hæc res sit absurda, & sanæ rationi plane contraria, & in Deum blasphema, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de Deo dici possunt, quam ista simpliciter ita, vt verba sonant, intelligere.* Hæc quisquis cum verbo diuini honore conciliari posse existimat, is lucem quoque & tenebras poterit conciliare.

3. *Quid iuuat, nuntium mittere* TRADITIONIBVS, *a Romana ecclesia scripturæ sacræ obtrusis, quum in alteram prolapsi extremitatem,* RATIONEM *Scripturæ iudicem obtrudant.* Nimirum id saltem, quod verum esse adparet rationi, quodque per causas & effecta propria sic se habere demonstrari potest, Deum dixisse credunt; quæ vero rationi non adparent vera esse, neque per causas & effecta demonstrari possunt, etiamsi Deum ipsum dixisse adpareat, nondum tamen credi posse existimant. Immo vero si rationi humanæ aperte constet, aliquid fieri non posse; illud, quamuis sæpe in sacris literis scriptum exstet, factumque fuisse clarissimis verbis perhibeatur, nequaquam tamen admittendum, sed potius in alium sensum, per inusitatos etiam tropos, explicandum esse statuunt. Hæc summa est hermeneuticæ Socinianæ, docente ABR. CALOVIO *oper. Anti-Socin. tom. I. p.* 20. Ceterum sub odioso *traditionum* nomine etiam explodunt veterum doctorum in scriptura interpretanda consensum, qui ex traditione apostolica, quæ priscis istis seculis e sacro diuinæ veritatis fonte multo purius fluxit, multa rectius nosse potuerunt. Conf. GE. ASHWELLI, ecclesiæ Anglicanæ presbyteri, *de Socinianismo dissertationem, p.* 102.

4. *Scripturæ lectionem, fateor, quibusuis commendant, sed*

sed ex regulis, quas modo audiuimus, instituendam. Hinc *versiones* etiam N. T. suorum errorum veneno imbutas, manibus indoctorum tradunt, qualis *Polonica* SMALZII, & *Germanica* STEGMANNI & CRELLII, FELBINGERI, TRILLERI cet. Hinc *suorum etiam librorum lectionem, velut antidotum aliquod, cum scripturæ lectione coniunctam volunt;* quod de suis *institutionibus* propemodum sub æternæ salutis iactura CHRISTOPHORVS OSTORODVS in *præf.* postulat, vbi scribit: *Ich vermahne und bitte dich wegen der Ehre GOttes und deiner eignen Seligkeit, daß du dis Buch mit Fleiß lesen wollest. Laß dich nicht irre machen das Schreyen der Theologorum und Prædicanten. Gedencke, so du, nach dem Befehl des Apostels, nicht alles prüfen, und derhalben fremde Bücher nicht lesen wilst, welch ein grosser Schade noch über das, daß du des Apostels Gebot nicht gehorsam bist, darauf erfolge. Sintemahl es sich treffen kan, daß ein gut und heylsam Buch auskomme, welches dich in vielen Dingen, die das ewige Leben zu erlangen betreffen, unterrichten könte, und würde derhalben vielleicht geschehen, daß du in Finsterniß bleiben, und also in Ewigkeit müstest verlohren werden.*

5. *Frequentem Scripturæ allegationem, qua ad palliandos errores suos abutuntur, cum omnibus hæreticis, ipsoque mendaciorum patre, diabolo Matth. IV. communem habent.* Bene WOLFG. FRANZIVS in *dedic.* vindiciarum aduersus SMALZIVM: *Quæuis doctrina veritatis opinionem sibi conciliat, quando sui cum verbo Dei congruentiam fingit. Hinc diabolus & ipse scripturam subinde vsu passe legitur, & per falsos doctores frequenter allegare consueuisse, plus satis constat, nec absque successu: quum magna hominum pars sub titulo verbi diuini eo ipso verbo, ac simul salute sempiterna, priuata fuerit.* Et paullo post: *Magna se prodit Photinianorum*

norum hypocrisis in allegatione scripturarum. Dum enim videri volunt scripturas perscrutari, vocum ac phrasium significata rimari, immo perueſtigare; simulato hoc studio non paucorum oculos perstringunt, vt credant, id genus hominum scripturis tenacissime adhærere, nec inde latum vnguem discedere.

6. *Socinianorum commentarii ad scripturam peruertendam toti comparati sunt*, iis maxime in locis, quæ erroribus ipsorum contradicunt. *Quidquid enim isti homines habent ingenii aut eruditionis, ad deprauandum scripturæ sensum conferre solent, vt proscriptis ex orbe christiano, quæ ipsi non admittunt, dogmatibus, suos eo felicius propagare errores queant;* vt iudicat B. BVDDEVS, in *isagoge p.1754.* FAVSTI inprimis SOCINI miranda dicam, an deteſtanda eſt in ſcripturæ ſenſu peruertendo κυβεία, qua dictorum ſibi refragantium colorem mutat, vt tinctor lanam. De commentario eius poſthumo *in primam ep. Ioannis*, quem SMALZIVS edidit, cel. IAC. FRID. REIMMANNVS, in *catalogo bibliothecæ ſuæ* p. 663. *Explicationibus nouis, sed lubricis, repletus est, paradoxologiis constipatus, controuersiis etiam theologicis nonnumquam, vtut parum opportune, onustus, & audacioribus quibusdam tentaminibus criticis ita contaminatus, vt temeritatis non immerito postulari queat.* Idem de reliquis dixeris commentariis Socinianorum, de quibus IAC. MARTINI, in præfat. libri I. de tribus Elohim: *Non puto vllos vmquam a diabolo excitatos fuisse hæreticos, qui tam astute & callide in alienum & peruersum sensum scripturæ dicta detorquere potuerint.* Nihil ſæpe eorum expoſitionibus frigidius, nihil coactius eſſe, quibusdam exemplis docere placet.

Verba Thomæ Ioan. XX, 28. *Domine mi, & Deus mi,* admi-

admirantis esse verba GE. ENIEDINVS, in *explic. locorum V. & N. T.* statuit. *Terrore*, inquit, *& stupore plenus, & extra se raptus, more hominibus consueto*, DOMINVS MEVS ET DEVS MEVS! *ait: quibus quidem verbis non Christum compellat, neque eum Dominum & Deum suum vocat: sed admirationem suam summam significat. Sicuti quum repente aliquid siue horrendum, siue admirabile, nonnullis occurrit, exclamant:* IESVS! MARIA! Tam crassum & absurdum est hoc Eniedini somnium, vt ipse SMALZIVS in *refut. thesium* FRANZII p. 445. *ineptissimam explicationem* nominet; qui tamen non minus inepte cum SOCINO statuit, Thomam Christum hominem adpellasse dominum suum ac Deum suum, hoc est, *dominum suum diuinum, siue ab illo vno Deo ad diuinam potestatem euectum.* Sed conf. B. SPENERI *Zeugniß von der ewigen Gottheit Christi cap. V. §. 25 - 29.*

Verba Pauli Col. II, 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, SMALZIVS, in *refut. thes. Franz. p. 67. 268. & de divin. Christi cap. VI.* ita explicat: *In Christo*, hoc est, in doctrina Christi, *habitat*, hoc est, continetur perpetuo, siue constanter reperitur, non corrigitur, non augetur, *plenitudo*, hoc est, tota notitia, *diuinitatis*, hoc est, voluntatis diuinæ, & quidquid ad cultum Dei veramque pietatem pertinet, *corporaliter*, hoc est, re ipsa, non per vmbras; vt tandem sensus sit: *Scientia diuinæ voluntatis perfectissima, non ex parte, nec in vmbris, vt in philosophia & lege, sed perfecte & solide in Christi doctrina reperitur.* Quam detorsionem quum CHRISTIANVS BECMANNVS in *exercit. theologicis*, Amstelodami 1644. editis, recensuisset, p. 11. hanc epicrisin addit: *Equidem vix puto, maleficum a carnifice sic torqueri posse, vti Paulum a* SMALZIO *hic torqueri cernimus*; qui & locum istum *exerc. IX. p. 138.* pluribus vindicat.

Similiter Ebr. I, 2. τὰς αἰῶνας ποιῆν SMALZIO est, beatam immortalitatem reuelare, SOCINO obedientia eandem parere atque condere, ENIEDINO ecclesiam colligere. Ebr. X, 5. *in mundum ingredi*, SOCINO interprete, est, in cælum adscendere, & *corpus aptare*, est, corpus, quod prius mortale erat, immortale & spirituale facere. Ebr. II, 14. *carnis & sanguinis se participem reddere*, sec. SMALZIVM, est doloribus, afflictionibus & morti truculentæ se exponere. Ioannes quando cap. I, 1. dicit: *In principio erat verbum*, ex SOCINI mente, id dicere voluit: In initio noui testamenti exsistebat homo ille, ex Maria natus, & ad euangelicum Patris cælestis verbum exponendum destinatus. *Et verbum erat apud Deum*, hoc est: Et hic homo, antequam baptistæ prædicatione patefieret, soli Deo notus erat. Et *verbum erat Deus*, scil. non natura, sed auctoritate & potentia, qua a Deo ille homo præditus erat. Apoc. I, 5. *Christus nos lauit sanguine suo*, secundum SOCINVM est, nos ablutos esse, declaravit. Col. I, 21. 22. *Christus nos morte sua Deo reconciliauit*, id est, SMALZIO interprete: Quum ex morte Christi intelligeremus, Deum velle nobis omnia peccata remittere, tam sumus cicures redditi, vt ad nosmet ipsos redierimus, & exuta priore feritate, animum mitiorem erga Deum induerimus. Ebr. IX, 14. *Christus se ipsum obtulit Deo*, secundum SOCINVM est, se ipsum in cælis pro nobis præsentauit. Plura deterrimarum detorsionum portenta, per omnes Socinianorum libros sparsa, addere non lubet, quibus veris vocum phrasiumque significationibus pro lubitu alias substituunt, ac sacrosanctis Spiritus sancti verbis, sicut talis aleatores, improbe ludunt, varia commenti strategemata, quibus eam ad rem callide vtuntur: dum mox antiquos *distinctionum* limites mutant, mox *lectiones variantes* vel novas

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0084
DFG

vas fingunt, vel ineptas in auxilium vocant, mox violentas *vocum traiectiones* tentant, mox *parentheſes* intrudunt, mox in *tropos* & *figuras*, vel prouerbiales etiam locutiones, ſimpliciſſime dicta conuertunt, mox nouos *idiotiſmos*, nouasque *hypotheſes* philologicas, per inductionem exemplorum haud comprobandas, cudunt, aliisue modis ſcripturæ prorſus illudunt; vt mirum adeo non ſit, SMALZIVM in *præf. refutationis theſium Franzianarum* euangelicos ex Scripturis vtriusque teſtamenti ſecum diſputaturos, thraſonicis hiſce verbis prouocare: *Prodeant in aciem, promant ex ſacris literis, quidquid velint, protinus in prima velitatione receptui canere eos oportebit.* Quisquis igitur Socinianos ſcripturam ſacram vehementer amare putat, næ is vehementer errat.

§. IV.

Quod *ſymbolum apoſtolicum* amplectuntur, *Nicænum* vero & reliqua auerſantur, nemo mirabitur, qui cogitauerit, illud, ob generaliores de diuinitate conceptus, facilius in partes ipſorum trahi poſſe; hoc vero falſis ipſorum de DEO opinionibus palam refragari.

OBSERVATIONES.

1. *In prima chriſtianiſmi infantia non dabatur aliud ſymbolum, præter formulam baptiſmi, a Chriſto præſcriptam* Matth. XXVIII, 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Hæc vero antiquiſſima fidei formula vti potiſſimum *Trinitatis* doctrinam, chriſtianæ religionis fundamentum, complectitur: ita validiſſima pro Trinitate argumenta aduerſus Socinianos ſuppeditat; vti pluribus demonſtrat THEODORE DE BLANC, in *Principes contre les Sociniens, tom. I, pag. 52. ſeqq.*

2. *Lapsu vero temporis, crescentibusque hæresibus, plures articuli huic fundamento superstructi sunt, vt genuini ecclesiæ filii ab hæreticis eorumque sectatoribus facilius discernerentur;* ex quibus additamentis symbolum tandem apostolicum natum est. Non igitur illud vnius est auctoris, sed, labentibus seculis, multis subinde accessionibus locupletatum fuit, prout nouæ, quæ propullulabant, hæreses variam eius amplificandi occasionem suppeditabant; quod docte comprobat GVIL. KING, Anglus, *in historia symboli apostolici*, ex anglico sermone in latinum a B. GOD. OLEARIO translata, Lipsiæ, MDCCVI.

3. *Merito huic symbolo maior, quam reliquis omnibus, auctoritas tribuitur*, quia & verbis perspicuum, & ordine concinnum est, & tam vniuerse in christiana republica receptum, vt, qui illud proterue reiecerit, indignus sit, qui eius ciuibus adnumeretur; qui metus Socinianos etiam ad illud amplectendum instigat.

4. *Socinianus vero ideo insuper adridet, quia illi sub verborum generalissimorum conceptibus facilius latitare, iisque in suas partes tractis, suum cum ecclesia apostolica consensum splendidius mentiri possunt*; vti facit IONAS SCHLICHTINGIVS in ep. ad lectorem, *explicationi symboli* præmissa, vbi *Quum*, inquit, *toti orbi testatum facere vellemus, nos ipsi apostolicæ & primæuæ veritati in omnibus insistere, in edenda hac ecclesiarum nostrarum confessione, symboli istius vestigia presso pede secuti sumus.* Quam longe vero sensus, quem symboli illius verbis subiiciunt, ab illo sensu distet, quem ecclesia apostolica tenuit, egregie ostendit ADAMVS KECHENBERGIVS, qui in *adpend. ad libr. symb.* huius symboli paraphrasin dedit tum in sensu orthodoxæ ecclesiæ pag 48. tum in sensu Socinianorum p. 95. Recte igitur Sociniani in

in *catech. Rac.* p. 46. *vniuersos christianos cum ipsis* (non autem, *illos cum vniuersis christianis*) *symbolum hoc amplecti* aiunt.

5. *Quantam vero cumque antiquissimi huius symboli venerationem Sociniani præ se ferant, parum tamen sibi religioni ducunt, a veritate, quam illud continet, recedere, sensusque illi peregrinos adfingere.* Rem exemplis, ex quouis articulo desumtis, comprobemus.

a) In *primo* symboli articulo Deus Pater dicitur *omnipotens* creator cæli & terræ. Talis vero a Socinianis minime agnoscitur. VAL. SMALZIVS contra FRANZIVM p. 3. *Non nescimus, quo sensu de Deo dici debeat infinitas & immensitas potentiæ. Nam quæ natura sua impossibilia sunt, ea nec ipse Deus facere potest.* Ad ea autem, quæ natura impossibilia sunt, ea etiam referunt, quæ ratio nostra assequi non valet. Hinc *catech. Racov.* p. 58. generationem filii Dei ex essentia Patris iis rebus accenset, *quæ fieri nullo pacto possint*, quia scilicet ratio non intelligit, quomodo DEVS ex essentia ab æterno filium generare sine essentiæ suæ multiplicatione potuerit. Hoc modo in locum patris *omnipotentis*, δυναμένυ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲς ἐκ περισσῦ, ὧν νοῦμεν, Ephes. III, 20. substituunt Deum *impotentem*, qui plura præstare non potest, quam nos intelligimus, cuiusque virtus angustis humanæ rationis limitibus circumscribitur.

b) In *secundo* symboli articulo confitemur Iesum Christum *filium Dei vnigenitum*, coll. Ioan. I, 14. 18. c. III, 16. ad quæ verba recte CYRILLVS *Hierosolymitanus*, catech. XI. ὑὸν ἀκύσας, μὴ νομίσῃς θετὸν, ἀλλὰ Φυσικὸν ὑὸν, μονογενῆ, ἀδελφὸν ἕτερον ὐκ ἔχοντα &c. *Quum audis Christum filium dici, adoptiuum eum existimare noli, verum naturalem filium & vnigenitum, fratrem non habentem. Propterea enim vnigenitus*

genitus audit, quoniam alius ac similis est nullus, siue dignitatem, siue diuinitatem spectes, siue eius a patre generationem. Et sane duas notiones vocabulum *vnigeniti* animo auditoris suggerit, 1) filium vere esse a patre genitum, 2) filium ita esse a patre genitum, vt modus generationis ipsius nihil simile in vniuersa rerum natura habeat. Vtrumque Sociniani negant. Veram eius ex patris essentia *generationem* pro impossibili & contradictoria *catech. Racov. p. 58.* declarat. *Adoptiuum* eum esse filium, non naturalem, SOCINVS in *Anti-Wujecko* adfirmat, eumque vnigenitum dici putat, non quia *solus* a Deo genitus sit, sed quia ex Maria natus, Deo patris vices supplente, & vnice DEO dilectus sit, & solus vniuersorum heres constitutus. Ita homines illi, vti Scripturæ, sic symbolo etiam apostolico, quod se recipere gloriantur, in faciem contradicunt.

Alia fraus Socinianorum circa filii Dei personam detegitur im *Berl. Hebopfer*, part. X. Ediderant illi anno 1716. *confessionem fidei*, lingua germanica ad decipiendos simplices compositam, vbi de Iesu Christo sic suam sententiam exponunt: *Von Jesu Christo glauben wir, - daß er von dem heiligen Geist empfangen, und von einer reinen Jungfrau gebohren sey, daß er sey der eingebohrne und eigene Sohn Gottes des Vaters &c.* loc. cit. *p. 853.* Ad quæ verba *p. 874.* hæc adnotantur: *Vergeblich berufen sich die Vnitarii auf ihre Uebereinstimmung mit dem apostolischen Glaubens-Bekenntniß. Denn dieses fängt nicht an, wie unsere Vnitarii, von der Menschheit Christi, sondern so lautet es: Ich glaube an Jesum Christum, Gottes eingebohrnen Sohn unsern Herrn, der empfangen ist vom heiligen Geist, gebohren von der Jungfrau Maria. Siehe, hier fängt das apostolische Glaubens-Bekenntniß an von Christo, so fern er Gottes eingebohrner Sohn ist,*

und

und denn geht es fort auf die Menſchwerdung dieſes eingebohrnen Sohnes Gottes. Da hingegen heben unſere Vnitarii ihr Bekenntniß von der leiblichen Empfängniß und Geburt Chriſti an, und hernach gedencken ſie erſt, daß er Gottes eingebohrner Sohn ſey; um durch dieſe Ordnung die Leſer auf die Gedancken zu bringen, daß Chriſtus erſt Gottes eingebohrner Sohn worden, da er von Maria, durch Gottes beſondere Wirckung, empfangen und gebohren worden. Welch ein groſſer Unterſchied iſt demnach unter der Vnitariorum, und dem apoſtoliſchen Glaubens-Bekenntniß?

c) In *tertio* articulo nos *in Spiritum ſanctum credere* confitemur. Nusquam illa phraſis expreſſe in ſcripturis legitur (quamuis in formula baptiſmali lateat) ſed tenentur tamen illam admittere Sociniani, ſi quidem ſymbolum apoſtolicum admittunt. Si phraſin admittunt, tenentur etiam ſpiritus ſancti admittere deitatem. εἰ γαρ μὲν κτίσμα, πῶς εἰς αὐτὸ πιστεύομεν; *Si enim creatura eſt ſpiritus ſanctus, quomodo in eum credimus?* GREGORIVS NAZIANZENVS ait, *oper. tom. I. orat. 37. p. 596.* Sed vide, quomodo ſe illi hæretici partes in omnes vertant, vt auctoritatem teſtimonii eleuent, quod ſymbolum de diuinitate ſpiritus ſancti dicit. CHRIST. OSTORODVS, in *inſtit. cap. XLI. §. 4.* plane negat, articulum de Spiritu ſancto ad ſymbolum olim pertinuiſſe, quod & IONAS SCHLICHTINGIVS facit contra MEISNERVM p. 339. IO. CRELLIVS, *de vno Deo patre lib. I. ſect. III. c. 2.* dicit, ea ratione in Spiritum ſanctum credi oportere, qua in eccleſiam catholicam credendum eſſe, multi veterum dixerint. FAVSTVS SOCINVS *de trino & vno Deo*, tom. II. oper. p. 429. putat, quod non legendum ſit: credo *in* Spiritum ſanctum, ſed: *credo Spiritum ſanctum.* Sed inania iſta eſſe ſubterfugia, oſtenditur in *progr.* pentec. Ienenſi an. 1729. *Diuinitas*

Spiritus ſancti ex ſymbolo apoſtolico. Vnum addimus ex OSTORODI *inſtit. cap. XLI. p. 394.* ed. germ. *Was betrift die Worte des Symboli von der Auferſtehung des Fleiſches, ſoll man wiſſen, daß ſie nicht ſo viel Anſehens haben können, daß man ihnen wider die Zeugniſſe der heiligen Schrift glauben ſolte; ſintemal es noch nicht bewieſen iſt, daß es die Apoſtel gemacht haben.* In tanto ſcilicet honore ſceptici illi homines ſymbolum iſtud antiquiſſimum habent; quod nunc reiiciunt, nunc deſerunt, quandocumque libet.

6. *Solum igitur huius ſymboli abuſum Sociniani retinent,* dum ea omnia, quæ hoc ſymbolo expreſſis verbis non continentur, ex catalogo articulorum fidei, ad ſalutem ſcitu neceſſariorum, expuncta volunt; vti patet ex declamatione SCHLICHTINGII contra *Meiſnerum p. 325. ſeqq.* Sed recte IO. CONR. DANHAVERVS, in *Chriſteide* p. 863. *Symbola non omnem ſane confeſſionem edunt, ſed debitam, & ex periculo hæreſium controuerſam. Et quæ inſania, non primarium fidei articulum ſtatuere, qui non ſit diſertis verbis in hoc ſymbolo editus, ſed conſequentia deducendus?* Conf ven. ZELTNERI *breuiarium controuerſiarum cum remonſtrantibus p. 8.* & VAL. ALBERTI *Auguſtana confeſſio, thetice & apologetice pertractata, p. 137. 140.* HERM. WITSIVS, in *exercit. in ſymb. p. 17.* nec omnia hoc ſymbolo contenta abſolute neceſſaria eſſe, nec omnia neceſſaria expreſſis verbis eo contineri, affirmat. *Nihil hic*, inquit, *de verbo Dei legitur, nihil de peccato & miſeria noſtra, nihil de iuſtificatione noſtra per fidem ſine operibus legis, nihil de Dei adoratione cultuque, & praxi nouæ vitæ, quæ exerceri rite non poſſunt, niſi & cognoſcantur, & neceſſaria eſſe credantur.*

7. Quod ad ſymbolum *Nicænum* attinet, *non tam illud odio habent Sociniani, quam doctrinam, publico illo vniuerſæ*

puri-

puriorũ ecclesiæ decreto stabilitam. Continet illud sententiam synodi *Nicænæ* aduersus Arium pronuntiatam, post accuratam causſæ cognitionem, institutamque ad regulam scripturæ examinationem. Sic autem illa se habet apud SOCRATEM lib.I.c.8. *Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei, natum de Patre vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum,* ὁμοούσιον *seu consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ sunt in cælo & in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, descendit ad cælos, venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum cet.* Reliqua ad retundendam impiam Arii de filio Dei opinionem pertinent. Parum hæc formula differt a *symbolo apostolico*, quod tantopere Socinianis placet; nisi quod Patres concilii ea adiecerint, quæ, vt ad iugulandas erroneas Arii hypotheses adderentur, necessitas illorum temporum requirebat: quæ additamenta maxime pertinent ad verba symboli apostolici, *filium eius vnigenitum*, ex sensu scripturæ declaranda. Dogmata hac formula contineri, scripturæ aduersa, nondum euinci potuit; immo contrarium euicerunt, qui in eo illustrando versati sunt, ATHANASIVS in *ep. ad Epictetum*, Corinthiorum episcopum, *oper. tom. I. p. 581. seqq.* CASPAR CRVCIGER, in *enarratione symboli Nicæni*, quæ cum PHIL. MELANCHTHONIS præfatione 1550. lucem adspexit; & præ reliquis IO. CASPAR SVICERVS, in *Symbolo Nicæno-Constantinopolitano exposito, & ex antiquitate ecclesiastica illustrato*, Traiecti, 1718. Addatur GE. BVLLI *defensio fidei Nicænæ.*

8. Varias Sociniani ingrediuntur vias, ad hoc symbolum sua auctoritate priuandum. SAM. PRZIPCOVIVM ineluctabilem eius accusare obscuritatem, atque illud tanquam auditu absurdum, verbis nouum reiicere, supra audiuimus, *sect. I. §. IV.* Alii multa in eo desiderari posse contendunt, vt IOACH. PEVSCHELIVS, in ZELTNERI *hist. Crypto-Socinianismi p. 998.* vbi simul in subiectis notis accusationes istæ diluuntur. Alii virus suum in illius concilii patres, symboli conditores, & vt illi volunt, nouæ trinitatis architectos, effundunt, quos SOCINVS, postquam se illos minime contemnere præfatus erat, negat, Dei spiritu præditos & legitime electos, sed vel per ambitionem, vel contentionem, vel auaritiam, vel inuidiam episcopos constitutos esse criminatur, idque ab iis, qui eius rei auctoritatem nullam habebant. Idem sibi negotium datum putat CHRISTOPH. SANDIVS, & DAN. ZWICKERVS, qui a Socinianis iudicandi dexteritatem se accepisse iactat; quorum vero criminationes retundit beatus IO. GVIL. BAIERVS, in diss. *qua concilii Nicæni auctoritas atque integritas defenditur*; quo duce illa etiam facile diiudicari possunt, quæ in *observ. selectis tom. II. observ. VIII.* contra formam atque decreta illius concilii (quod quidem sine næuis fuisse, non contendimus) iniquius, quam decebat, disputantur. Impudentissime omnium IONAS SCHLICHTINGIVS, de Trinitate aduersus MEISNERVM, p. 360. symbolum istud in suas rapere partes conatur, dum, *Nihil*, inquit, *certius est, quam Patres Nicænos filium & ab vnius illius Dei & factoris cæli terræque titulo voluisse exclusum, & solum Patrem illum vnum Deum cæli terræque factorem esse, credidisse*; quod illepidum commentum refutat, verumque huius symboli sensum aduersus illas strophas vindicat ABR. CALOVIVS, de *decreto Synodi Nicænæ*, operum Anti-Socin. tom. II. p. 541. seqq.

9. A-

9. *Athanasianum symbolum* non ab ipso ATHANASIO, sed alio incerto auctore, conditum fuisse, supra p. 22. concessimus. Ipse in *epist. ad Antioch. tom. I. p. 576.* testatur, se a condenda noua fidei formula alienum fuisse, siquidem Nicænum fidei symbolum sit omnibus numeris absolutum. Nihil tamen in eo legi sacris literis aduersum, satis comprobatum est ab iis, qui illud expossuerunt, NIC. SELNECCERO, CHRISTIANO PELARGO, IO. BENED. CARPZOVIO, in *isagoge ad libros symbolicos*, PAVLO LAVRENTIO, DAV. PAREO, & HENR. RIXNERO, qui *symboli Athanasiani ex sola scriptura probationem* vulgauit Helmstadii, 1675. Exordium symboli etiamsi durius DVDITHIO aliisque videatur (vid. supra p. 21.) sat tamen fundamenti habet in verbis Christi Ioan. XVII, 3. Non, quod omnium symboli positionum expressa notitia ad salutem requiratur; sed quod doctrina eis comprehensa, saluo fidei & salutis fundamento, negari non possit. Quod vero isti homines tanto in ATHANASIVM ipsum odio flagrant, eumque nunc *Satanasium* vocant, nunc aliis sarcasmis conuitiisque, indignis, quibus chartæ conspurcentur, opprimunt, in eo se germanos *Arianorum* fratres esse demonstrant. Quum enim egregius ille vir inuictus semper perstaret, testimoniisque scripturæ aduersus Arii factionem pugnaret, non vna ratione illius iram expertus est. Vix vllum enim criminum genus fuit, in cuius eum non adducere suspicionem voluerunt: insignem tum demum se relaturos victoriam rati, si velut infamia conspersus Athanasius, nullam amplius fidem inueniret. At enim vero hæ Sophistarum artes sunt, hæc breuissima ad victoriam via; vti obseruat ven. BVDDEVS, in *isagoge p. 1043.* Veteres longe aliter de ATHANASII in rem christianam meritis senserunt. BASILIVS magnus *medicum ecclesiasticarum*

infirmitatum, a Deo constitutum; GREGORIVS NAZIANZENVS veram *ecclesiæ columnam*; CONSTANTINVS imperator *athletam irreprehensibilem* vocauit. Vitia illi obiecta peculiari dissertatione diluere studuit ven. HENR. KLAVSINGIVS, quæ titulum *Athanasii vindicati* gerit. Addantur TIRLBY *vindiciæ Athanasii*. Vitam eius GODOFR. HERMANTIVS scripsit.

10. *Reliquis symbolis ab ecclesia euangelica receptis similiter, sine legitima caussa, infensi sunt Sociniani.* Non potuit ecclesia, si depositum sanctæ doctrinæ incorruptum seruare voluit, sibi temperare, quin, disseminatis falsis doctrinis, symbola quædam conderet, iis opposita, quibus veluti tessera quadam veri doctores a falsis discerni possint. Quod his a nonnullis maius, quam par erat, pretium statuatur, id vero, vt omnis tollatur symbolorum vsus, efficere non potest. Et cur ipsi Sociniani, etiam non iussi, edunt fidei suæ formulas? Cur *catechismum* suum Racouiensem, qui vere *liber* eorum *symbolicus* dici potest, toties mutatum recognitumque, orbi christiano obtruserunt, si tanto æstuant odio humanorum symbolorum?

§. V.

Auersationem doctrinæ societatisque pontificiæ, quam Socini sectatores verbis produnt, non esse genuinam, vel inde adparet, quia & quam plurimos fouent errores, ex sentina papatus haustos, & ab eodem, qui in corpore antichristi residet, spiritu reguntur.

OBSERVATIONES.

1. *Verendum est, odium Socinianorum aduersus regnum pontificium magis originem suam trahere ex sensu persecutionum,*

onum, quas instinctu pontificiæ factionis sustinuerunt, *quam ex amore Iesu Christi*, cui cum illa nequitiæ sede capitalis inimicitia intercedit. In ipsis enim incunabulis suis Sociniana hæresis pontificiorum insidias iramque experta est. Scilicet, teste STAN. LVBIENIECIO, in hist. ref. Pol. lib. II. cap. I. circa annum MDXLVI. Vincentiæ, & in aliis Venetæ ditionis vrbibus, nobiles quidam doctique viri, Romanæ ecclesiæ hactenus addicti, conuenire solebant de præcipuis fidei christianæ capitibus, collatis inter se sententiis, disputaturi, & eo quidem fine, vt, excusso præiudiciorum superstitionumque iugo, ductu rationis, ad libertatem adspirarent. Quum vero hæc omnia absque precibus animique submissione, ex fiducia propriarum virium, agerentur; factum est, vt arrogantia illa ingenia, diuino rectore destituta, dum credulitatem exuere laborabant, in incredulitatem grauissimosque errores præcipitarentur. In primis illis dogmata de *Trinitate*, de *Filii ac Spiritus sancti diuinitate*, de *satisfactione* Christi, de *iustificatione per fidem*, Christi merita amplectentem, in lapidem offensionis conuertebantur; quumque illa crederent esse *opiniones*, *per philosophos Græcos introductas*, ac proinde a Christianæ religionis corpore rescindendas; omnes ferocientis ingenii vires ad earum auctoritatem infringendam petulanter conuertebant. Quum vero tandem quid in secretis illis conuentibus ageretur, magistratus resciscceret, totus in eo erat, vt eos, qui talia moliebantur, comprehensos vinculis mandaret. Et tres quidem in manus iudicum incidebant, IVLIVS TREVISANVS, FRANCISCVS DE RVEGO, & IACOBVS DE CHIAR, quorum postremus morte naturali in carcere obiit, duo priores, ex inquisitionis sententia, suffocati fuere. Reliqui omnes, circiter quadraginta viri, fuga se subduxerunt, ex quorum etiam

iam numero LAELIVS SOCINVS fuit, a quo, ceu patruo suo, FAVSTVS SOCINVS, velut hereditario iure, istos errores accepit, & vbique disseminauit. Quum igitur hæc secta in primis suis initiis acerbissima pontificiorum odia senserit, non mirum est, eam vicissim pontificios cane peius & angue odisse. *Quo* enim *semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.* Maxime quum deinceps etiam ab iis, qui Romano episcopo addicti sunt, variis modis vexarentur. Nam &, cleri pontificalis instinctu, ipsorum in Polonia ecclesiæ, scholæ ac typographiæ funditus euersæ fuerunt, & summi pontifices PAVLVS IV. ac CLEMENS VIII. publica aduersus Anti-Trinitarios decreta promulgarunt.

2. *Ceterum illud, quod ex hac origine fluxit, Socinianorum aduersus regnum papale odium, quum a spiritu σωφρονισμῷ non regeretur, liberius, quam par erat, euagatum est.* Tam temere enim & imperite Papistmi destructionem SOCINVS adgressus est, vt cum carduis lolioque omne fere triticum eradicarit. Quum ex. gr. *tyrannidem papalem* tollere vellet, eadem opera, quidquid ad τάξιν ecclesiasticam pertinet, e medio sustulit. Dum in destruendo *sacrificio missæ* propitiatorio, ac monstroso *transsubstantiationis* dogmate, occupatus fuit; omnem simul Christi præsentiam, omnem sacramenti necessitatem & efficaciam, temere proscripsit. Dum *purgatorium*, *sanctorumque invocationem*, abolere voluit; non melius id fieri posse sibi persuasit, quam si vitam omnem sensumque animarum a corpore separatarum negaret, errorem sic errori opponens. Quin quum semel falsissimum illud principium animis insinuasset: *Quicquid ecclesia Romana credit & tenet, id omne antichristianum est, & improbandum;* mox etiam mysterium *Trinitatis*, ἐνσάρκωσιν τοῦ λόγου, *meritum Christi*, *baptismum par-*

paruulorum (*catech. Rac. p. 222.*) & alia antiquæ fidei & praxeos vestigia, tamquam inuenta antichristi profanus homo exsibilauit; medico imperito similis, qui dum morbos tollere cupit, succos simul humoresque salutares euacuat, omnemque spirituum vitalium adparatum penitus exhaurit, vt pulchre obseruat GE. ASHWELL, in disp. *de Socino & Socinianismo p. 38.*

3. Sociniani ipsi sunt rei eius criminis, quod potissimum in ecclesia Romana damnant. FAVSTVS SOCINVS *oper. tom. I. p. 502.* Papistis cælestis vitæ hereditatem ideo tribuere recusat, *quia omnes hodie idololatras esse constet*, quorum nemo salutis æternæ compos esse possit. Quin inter euangelicos quoque idololatriæ pontificiæ reliquias supersesse dictitant, dum eos ex sacramentis baptismi ac sacræ cœnæ propemodum *idolum* quoddam fecisse mentiuntur. Conf. *catech. Racov. p. 223.* Vti vero accusationem idololatriæ a nostra ecclesia depellit BALTH. MEISNERVS, in *consid. theol. Photin. p. 588.* ita illam in pontificium cœtum iure cadere, ii, qui de idololatria Romanæ ecclesiæ ex instituto scripserunt, IOANNES RAINOLDVS, EDVARDVS STILLINGFLEET, IO. DALLAEVS, aliique, pluribus comprobarunt. Quid vero, si Socinianos ipsos *idololatras* esse dixerimus? Equidem illi tantam sibi iniuriam fieri clamabunt, qua maior nulla esse possit; sed non fieri ipsis iniuriam, doctrina ipsorum de Christo satis prodit.

a) Idololatria est, quum religiose colitur, inuocatur, adoratur id, quod non est φύσει θεὸς, seu quod non habet naturam diuinam, Gal. IV, 8.

b) Sociniani, vt in *proœm. p. 8.* obseruauimus, nullam in Christo diuinam naturam agnoscunt (quam blasphemum SERVETI OS *diabolicam ideam fabulosamque chimæram* nuncupa-

cupauit) sed eum, si essentiam spectes, nudum hominem esse contendunt, quamuis haud vulgarem, sed *diuinum* (vti eum in *catech. Rac.* ed. 1. p. 7. nominant) ad diuinos quidem honores euectum; sed *creaturâ* tamen accensendum. Ita enim SOCINVS verba angeli apoc. XIX, 10. *Deum adora*, circumscribit, ac si dixisset: *Inter* RES CREATAS *nec me, nec vllum alium adorare debes,* PRAETER IESVM. tom. I. oper. p. 687. Et SMALZIVS in *respons. ad noua monstra noui Arianismi p. 78.* ridicule in eo ponit discrimen ethnicorum & christianorum, quod illi *colant creaturam potius, quam creatorem;* hi vero *colant creatorem &* CREATVRAM, *quam creator coli vult.*

c) Sociniani nihilominus nudum illum hominem colunt, inuocant, adorant, quin eos, qui illum non inuocandum adorandumue censent, christianorum nomine indignos esse iudicant, in *catech. Rac. p. 151. ed. 1.* Fuerunt equidem inter illos, qui aliter ea de re senserunt, inter quos FRANCISCVS DAVIDES, episcopus vnitariorum in Transsilvania, qui 1578. libellum emisit, in quo disseritur, *IEsum Christum vocari non posse Deum, quum non sit verus Deus, ac proinde etiam in precibus inuocari nec posse, nec debere.* Immo eodem crimine eum se obstringere dixit, qui preces ad Iesum dirigat, ac is, qui Mariam virginem inuocet. In eandem sententiam BLANDRATA, PALAEOLOGVS, GLIRIVS, SOMERVS, CHRISTIAN FRANCKEN aliique concesserunt, qui hinc *semi-iudaizantium* nomen retulere. Conf. LVBIENIECH *hist. reform. Pol. lib. III. c. XI.* Sed hanc sententiam, quamuis ex Socinianæ sectæ principiis vltro fluentem, FAVSTVS SOCINVS ipse in disp. *de inuocatione Iesu Christi* confutauit, qui tamen hic velut ebrius titubat, dum nos ad Christum adorandum teneri negat, sed tamen iure eum adorare

orare posse adfirmat. Interim ille in *epist. ad Synodum Nægrouiensem*, *tom. I. oper. p. 491.* vult, statas precum formulas omnibus verbi ministris iniungi, ad Christum nominatim directas, vt hoc modo suæ partis homines ab assectis alterius partis discernerentur. Immo genuini Socini assectæ tanto illam sententiam odio prosequuti sunt, vt IO. STOINIVS, cœtus Racouiensis minister, in *præf.* ad CRELLII librum *de caussis mortis CHRISTI, adorationis Christi hostes a salute æterna excludat*, cum quo consentit SMALZIVS, qui assumto THEOPHILI NICOLAIDIS nomine, in refut. tr. de ecclesia & miss. ministrorum c. VIII. p. 87. FRANC. DAVIDES, inquit, *a nostris plane pro impio habitus fuit, & hodie nos pro fratre nostro neminem eorum agnoscimus, qui sententiam eius impiam sectetur vel defendat.* Iure igitur sententia de Christo inuocando Sociniano gregi tribuitur.

d) Hoc vero posito, Sociniani, quidquid contra dicant, idololatriæ crimen a se declinare non possunt. Honor enim diuinus non nisi naturæ diuinæ competit; quod vinculum DEVS iuramento confirmauit Esa. XLII, 8. seque solum religiose colendum esse sanxit, Deut. VI, 13. coll. Matth. IV, 10. Quisquis igitur religiose colit creaturam, quamuis nobilissimam, summaque potestate a Deo instructam, quisquis eam adorat & inuocat, quisquis omnem in ea collocat salutis suæ fiduciam: is nullo iure ab idololatriæ culpa absolui diuinumque illud euitare fulmen potest Ier. XVII, 5. *Maledictus est, qui in homine confidit, a Iehoua suum remouens animum.* Recte igitur pronuntiat SCHERZERVS, in *collegio Anti-Soc.* disp. LXXII. p. 638. *Firmum stat, Socinianos esse idololatras, dum Christum, quem pro nudo homine habent, inuocant.* Conf. *refutationem catech. Rac.* germanicam, a Theologis Wittebergensibus an. 1619. editam,

pag. 71. Ipse CHRISTIANVS FRANCKEN, in disp. cum Socicino *de Christi honore*, hoc argumento Socinum constringit, oper. Soc. tom. II. p. 773. *Ii vero sunt idololatræ, qui seruiunt, id est, adorant, seu inuocant eos, qui natura non sunt Dii*, Gal. IV, 8. *At ex tua sententia Christus non est natura DEVS. Ergo qui ad eum proprie dirigis tuam inuocationem, es verus idololatra.*

e) Ex eadem illa FRANCKII cum SOCINO disputatione satis adparet, quam valide FRANC. DAVIDIS discipuli ex propriis Socini principiis aduersus adorationem Christi pugnarent, & quam miseris contra effugiis Socinus vtatur ad idololatriæ exprobrationem depellendam, suamque de Christo inuocando sententiam cum negata eius diuina natura conciliandam. Ex. gr. FRANCKEN vel FRANCKIVS ita ratiocinabatur: *Quanta est distantia inter creatorem & creaturam, tanta esse debet differentia inter honorem, qui creatori exhibetur, & qui creaturæ tribuitur. Atqui inter creatorem & creaturam maxima, immo infinita est differentia. Ergo & maxima esse debet differentia inter honorem Dei & creaturæ. At honor, qui præcipue debetur Deo, est religiosa adoratio. Ergo hæc non est tribuenda creaturæ. Ergo neque Christo, quem tu puram esse creaturam fateris.* Absurde respondet SOCINVS: *Etsi summa est inter Deum & creaturam distantia, non tamen est necesse, tantam esse differentiam inter honorem Dei & creaturæ. Nam potest Deus, cui vult, honorem suum communicare, Christo præsertim, qui dignus est tali honore.* Obiicit FRANCKIVS: *Dei gloria est adoratio religiosa, quam Deus per Esaiam cap. XLII, 8. ait, se alteri nolle dare. Ergo nec Christo dedit, si non est Deus.* Peruerse respondet SOCINVS: Illud dictum sic est interpretandum: *Non suam gloriam meam ab altero accipi & sibi arro-*

arrogari contra voluntatem meam. Argute opponit FRANCKIVS: *Hoc est oppositum interpretari per oppositum, id est, actiuum*, Non dabo, *per passiuum*, Non patiar contra voluntatem meam rapi; *quod perinde est, ac si quis, contrarium contrario explicans, dicat*, album est, *id est*, nigrum est. *Quo nihil dici absurdius potest.* Nouam explicationem versatile in omnes partes SOCINI ingenium in promtu habebat: *Potest hoc etiam modo illud Esaiæ dictum interpretari*: Gloriam meam alteri non dabo, *id est*, TOTAM *meam gloriam alteri non cedam. Christo autem data est* PARS *tantum huius gloriæ.* Respondet FRANCKIVS: *Illud non est interpretari, sed torquere scripturam. Eodem modo primum præceptum, Non habebis Deos alienos præter me, te magistro, sic interpretabimur: Non habebis Deos, quibus* TOTVM *honorem mihi debitum tribuas; habere autem poteris alios Deos, quibus meæ* PARTEM *gloriæ impertias.* Quum SOCINVS dixisset, *adorationem Christi per Christum, tamquam medium, deferri ad Deum, tamquam vltimum scopum* (coll. *catech. Rac.* p. 172.) respondet FRANCKIVS: *Sic ipsius etiam Christi imago poterit adorari, quia ista adoratio dirigitur in imaginem tamquam medium, in Christum autem tamquam finem.* Excipit SOCINVS: *Non valet tua consequentia, quoniam scriptura non iubet adorari imagines, immo etiam prohibet.* Respondet FRANCKIVS: *Immo valet consequentia. Nam sicut scriptura non iubet adorari imagines; ita non iubet adorari hominem, immo etiam prohibet.* Quum idem FRANCKIVS argumentatus esset: *Christus non est socius creationis*, (conf. *catech. Racov.* p. 72. seqq.) *ergo nec adorationis*, coll. Ier. X, 11. Regerit SOCINVS: *Nego consequentiam: Quamuis enim Christus non sit creationis socius, est tamen diuinæ potestatis socius; id quod sufficit, vt sit etiam diuinæ adorationis capax.* Vrget

FRANCKIVS: *Nec diuina ista potestas est adoratione digna, nisi eam ad diuinam vsque naturam extendamus, quemadmodum faciunt Trinitarii, existimantes, indissolubili nexu colligatam esse diuinam potestatem cum essentia & adoratione diuina, verumque esse idololatram, qui adorationem a deitate seiungit.* Pueriliter respondet SOCINVS: *Decipiuntur isti, ratione subuertentes theologiam.* Plura transscribere tædet. Reliqua SOCINI in hoc argumento effugia obstruxit ABR. CALOVIVS *operum Anti-Socin.* tom. I. p. 222. seqq. IO. ADAM SCHERZERVS, in *colleg. Anti-Soc. disp. LXXII.*

4. *Anti Christi spiritum totum Socinianæ sectæ corpus obsedisse*, PAVLVS FELGENHAVER, in *refutatione paralogismorum Socinianorum*, Amstelodami 1656. edita, p. 145. sic probat: Dis ist der Antichrist, *der den Vater und den Sohn leugnet. 1 Ioan. II, 22.* So müssen denn die Socinianer mehr der Antichrist seyn, als alle andere menschliche Secten, weil sie den Sohn Gottes verleugnen, und nicht einmahl aus der Vernunft erlernet haben, dass ein Sohn, so er anders ein wahrer Sohn seyn soll, gantz unwidersprechlich die Natur und das Wesen seines Vaters, aus welchem er seinen Urstand genommen, haben soll; welches die Socinianer an Christo leugnen, indem sie nicht zugeben wollen, dass der Sohn Gottes des Vaters Natur, Wesen und Herrlichkeit habe.

5. *Tantum abest, vt omne fermentum pontificiarum doctrinarum ex suo systemate Sociniani expurgarint, vt haud paucæ in illo inueniantur corruptelæ, ex sentina Papatus haustæ.* Consentiunt nimirum Romani pontificis & Socini assecla

A. *In multis disputandi principiis*, siue per se falsis, sive non recte applicatis, vt

α) *Nihil esse credendum, quod rationi aduersetur.* BELLAR-

LARMINVS lib. II. de iustific. c. VII. *Pugnat cum recta ratione, iustitiam Christi ita nobis imputari, vt per eam formaliter iusti nominemur.* Et lib. IV. de ecclesia c. XI. *Iustificari hominem sola fide speciali, est plane contra omnem rationem.* Similiter SMALZIVS contra FRANZIVM p. 137. aduersus Christi *satisfactionem* disputans, *Nulla*, inquit, *est christianæ religionis particula, quæ cum ratione non conueniat, & quæ cum ratione non conuenit opinio, ea etiam in theologia nullum locum habere potest.* Idem repetit p. 372. Et SOCINVS *oper. tom. I. p. 697.* ideo reiicit sententiam de Deo vno, in hypostasibus trino, *quia illa manifesto cum communi sensu & ratione pugnet;* vbi vide quid respondeat BALTH. MEISNERVS, in *consider. theol. Phot. p. 305. seqq.*

β) *Liberi arbitrii in spiritualibus negationem & præmia tollere & pœnas*, BELLARMINVS vrget, lib. VI. de gratia & lib arb. c. XII. *Si non esset homo liberi arbitrii in operibus pietatis, sequeretur, non esse laudandos, nec vllo præmio dignos, qui volunt credere, sperare, diligere.* Idem vrget SOCINVS, oper. tom. I. p. 695. *Nulla ratione fieri potest, vt illi, qui præcepta Dei contemnunt, vel seruare negligunt, tam acerbe a Deo puniantur, quam sacræ literæ testantur, nisi id saltem liberum homini esset, vt ea seruare & velit & curet.* Adde *catech. Rac. p. 298.* Et conf. in contrarium MEISNERI *librum cit. p. 98. seqq.*

γ) *Doctrinam de iustificatione per solam fidem omne euertere pietatis studium*, BELLARMINVS inculcat lib. IV. de iustif. c. VII. *Si fides sola saluaret, & opera non essent necessaria ad salutem, nisi ratione præsentiæ, vt fructus & signa fidei, sequetur, fidem saluare posse, etiamsi coniuncta esset omnibus vitiis & peccatis.* Idem inculcat SOCINVS oper. tom. I. p. 695. *Euangelicorum de iustificatione sententia eiusmodi*

modi est, vt mirum videri possit, si quis eam amplexus vitam homine christiano dignam ducat. Et p. 696. *Diabolum per hanc sententiam euangelicorum effecisse, vt plane credatur, nihil esse opus, vt quisquam vitæ sanctimonia præditus esse curet.* Add. SMALZIVS contra FRANZIVM *p. 357.* Sed conf. MEISNERVM *loc. cit. p. 109. 117.*

δ) *Deum fore iniustum, si præcipiat impossibilia,* BELLARMINVS decernit lib. IV. de iustif. c. XIII. & inde concludit, legem Dei in hac vita perfecte impleri posse. *Si lex Domini,* inquit, *esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno esse crudeliorem & stultiorem, qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo soluere posset.* Add. concil. Trid. ed. Hall. p. 54. *Deus impossibilia non iubet &c.* Idem sentit SOCINVS oper. tom. I. p. 695. *Indignissima res est, vel cogitare quidem, Deum homini quidquam præcepisse, quod ipsi homini omnino facto fit impossibile.* Adde *catech. Rac.* p. 301. *Id nimis iniustum esset, punire aliquem propterea, quod non fecerit, quod facere nullo modo potuit.* At conf. in contrarium MEISNERI *consid. theol. Phot. p. 742. seqq.* Non minus vero consentiunt pontificii & Sociniani

B. *In multis grauissimisque erroribus falsisque hypothesibus,* quarum, speciminis caussa, nonnullas recensere lubet.

α) *Nomen IEHOVA creaturis quoque, Deum repræsentantibus, tribui posse,* BELLARMINVS concedit *lib. I. de Christo cap. V.* Similiter SOCINVS contra WVIECKVM *cap. VI. Si angeli, Christo multo inferiores, quum Iehouæ personam aliqua in re sustinent, Iehouæ nomine adpellati inueniuntur; multo magis fieri potest, vt Christus, qui, in toto negotio salutis nostræ, Iehouæ Dei personam sustinet, ipsiusque perpetuus in ecclesia vicarius est, Iehouæ nomine adpelletur, nec tamen ipse sit reuera Iehoua, siue eiusdem cum ipso essentiæ.*

Sed

Sed conf. ven. IOACH. LANGII *cauſſæ Dei tom. II. p. 359. ſeqq.*

β) *Myſterium Trinitatis ex ſolis ſcripturis, ſepoſita traditione, ſufficienter demonſtrari non poſſe*, multi pontificii ſtatuunt. Prouocat ad hanc eorum confeſſionem SOCINVS tom. I. oper. p. 698. *Certe ex pontificiis præſtantiſſimi nonnulli theologi non verentur fateri, in ipſis ſacris literis Trinitatis diuinæ myſterium non expreſſum eſſe.* Contrarium probat ven. LANGIVS *cauſſæ Dei tom. II. & III.* aliique.

γ) *Religioſam adorationem competere etiam illi, qui non eſt natura verus DEVS*, pontificii tradunt, variosque adorationis gradus fingunt, quorum ſupremum ſoli vero DEO, inferiores etiam ſanctis, quos DEVS diuinis virtutibus inſignique gloria inſtruxit, competere putant. Eadem hypotheſis *Socinianis* adridet, vt effugiant vim argumenti, quod pro adſtruenda vera Chriſti diuinitate ex cultu religioſæ adorationis deducitur; vti patet ex *diſputatione* SOCINI cum CHRISTIANO FRANCKEN *de Chriſti honore.*

δ) *Angelos inuocandos eſſe*, communis eſt pontificiorum opinio, quotidiana eorum praxi confirmata. BELLARMINVS lib. I. de beat. ſanct. c. IX. *Sancti, ſiue angeli, ſiue homines, pie atque vtiliter a viuentibus inuocantur.* Sociniani id ſaltem in V. T. Dei permiſſu factum eſſe credere coguntur, quia angelum illum, qui patriarchis adparuit, & ab ipſis cultu religioſo exceptus eſt, creatum angelum fuiſſe, vnanimi conſenſu ſtatuunt.

ε) *Juſtitiam originalem primo homini non concreatam fuiſſe*, pontificii diſputant, Sociniani diſerte adfirmant. SOCINVS oper. tom. I. pag. 703. *Secundus euangeliorum error eſt, quod Adamo ante peccatum iuſtitiam quandam originalem tribuunt.* SMALZIVS contra FRANZIVM p. 44. *Iſta ſapi-*

entia rerum diuinarum & sanctimonia, quam Adamo ante lapsum tribuit FRANZIVS *cum aliis, est quædam idea, in ipsorum cerebro nata. Simplicitas & innocentia si tribuatur Adamo ante lapsum, satis superque est.* Sed conf. MEISNERI *consid. theol. Phot. p. 669. seqq.*

ε) *Immortalitatem primi hominis fuisse donum aliquod supernaturale & accessorium*, cum BELLARMINO *de gratia primi hominis* c. IX. pontificii credunt. *Sociniani* immortalitatem primo homini prorsus derogant. SOCINVS op. tom. I. p. 703. *Error euangelicorum est, Adamum natura fuisse immortalem, post peccatum vero mortalem factum.* Similiter SMALZIVS contra FRANZIVM p. 397. seqq. *Adamum ante lapsum mortalem* fuisse contendit. Adde *catech. Rac. p. 18.* & SOCINI *aduersus Puccium disp. de statu primi hominis ante lapsum, tom. II. oper. p. 257. seqq.* Sed conf. MEISNERI librum cit. *p. 633. seqq.*

ζ) *Imaginem Dei prorsus amissam esse*, negant pontificii, ex quibus BELLARMINVS *lib. IV. de eccl. c. IX.* hæreseos notam illis impingit, *qui Adamum Dei imaginem, ad quam creatus fuerit, perdidisse asserunt.* Similiter SMALZIVS contra FRANZIVM *p. 52.* imaginem Dei non amissam esse, sed hodie durare in homine contendit. Idem statuit SOCINVS *prælect. theol. c. III.* & OSTORODVS *instit. c. XXXIII.* Sed conf. ven. LANGII *causse Dei tom. III. p. 925.*

η) *Peccatum originis* pontificii multis modis extenuant; conf. SCHERZERI *Anti-*BELLARMINVM *p. 655. seqq.* Sociniani omnino negant, cunctosque homines ab eo immunes pronuntiant. SOCINVS *oper. tom. I. p. 540. 703.* istud peccatum *euangelicorum erroribus & humani ingenii figmentis* accenset. SMALZIVS contra FRANZIVM p. 42. 46. *Peccatum originis mere est fabula, quam tamquam fœtum alienum fouent Lu-*

the-

therani, & alii. OSTORODVS *instit. germ. c. XXXIII. §. 4. p. 271.* Nun kommen wir zu dem andern Punct, welcher ist: Ob die Natur des ersten Menschen durch die Sünde corrumpiret und verdorben sey? Da sagen wir nein zu. - Wider diese helle Wahrheit bemühet man sich, mit etlichen Sprüchen zu beweisen, dass des Menschen Natur corrumpiret, ja dass der Mensch izt von Natur und von seiner Empfängniss an ein Sünder sey; welcher Sünde sie einen eignen Namen erdacht, nemlich PECCATVM ORIGINIS, von welcher man nichts in heiliger Schrift findet. Adde *catech. Racov. p. 294. Peccatum originis quid sit, necdum inter auctores ipsos conuenit. Hoc certum est, per Adami lapsum haudquaquam hominis naturam vitiatam esse.* Sed conf. MEISNERVM *p. 679. seqq.*

ϑ) *Concupiscentiam prauam, habitualiter renatis inhærentem, primosque eius motus, ad quos nondum accedit consensus cum delectatione coniunctus, esse peccatum vere dictum,* summo conatu *pontificii* negant, & sub anathematis pœna negari volunt *in concil. Trid. sess. V. p. 31.* Similiter SOCINVS *tom. I. oper. p. 703.* in euangelicorum erroribus numerat, *quod simplicem & plane naturalem in homine concupiscentiam, quamuis ei nullo pacto assentiatur, peccatum esse statuunt.* Sed confer MEISNERVM *loc. cit. p. 720. seqq.*

ι) *In doctrina de viribus liberi arbitrii in negotiis spiritualibus* prorsus consentiunt vtrique. *Pontificii in conc. Trident. sess. V. p. 35. Liberum arbitrium* in *hominibus minime extinctum est, viribus licet attenuatum & inclinatum.* Conf. SCHERZERI *Anti-Bellarmin.* p. 718. *Sociniani* in *catech. Racov. p. 293. Certum est, primum hominem ita a Deo conditum fuisse, vt libero arbitrio præditus esset; nec vero vlla caussa subest, cur Deus post eius lapsum illum eo priuarit.* SOCINVS

oper. tom. I. p. 703. Ingens error euangelicorum est, quod humanum genus vniuersum libero arbitrio priuant. SMALZIVS contra FRANZIVM p. 419. *Grauiter hallucinatur* FRANZIVS, *dum ait, hominem non renatum nihil posse in spiritualibus, nempe in interno assensu in verbum diuinum, in conuersione ad Deum, agnitione Christi, & fide in illum.* Crassissima hæc sunt *Pelagianæ* hæreseos vestigia, quæ tota in Socinianam theologiam transmigrauit. Sed conf. MEISNERVM *loc. cit. p. 707.*

Similis harmonia errorum pontificiorum & Socinianorum in doctrina *de scriptura, lege, euangelio, pœnitentia, iustificatione, fide, bonis operibus, baptismo, sacra cœna &c.* deprehenditur, quam sigillatim ostendere nunc non vacat. Videantur IO. GERHARDI *disput. theol. part. III. p. 1062.* & ABR. CALOVII *opera Anti-Soc. tom. III. p. 18.* Maiori igitur iure, quam NICOLAIDES de nobis, nos de Socinianis dicere possumus: *Non propterea illi sunt vera Christi ecclesia, quia pontificii sunt falsa; immo vna cum illis falsa sunt ecclesia, quum in natura religionis idem sentiant, quod pontificii;* in def. tract. *de ecclesia, contra Miedzibozium, cap. III. p. 46.*

§. VI.

Sub larua *simplicitatis fidei*, quæ, verbis scripturæ contenta, voces, ab humano ingenio excogitatas, subtilesque controuersias se fastidire simulat, periculosissimæ latent insidiæ, summis christianæ religionis mysteriis structæ.

OBSERVATIONES.

1. *Simplicitas illa fidei, quam Sociniani adfectant, minime est genuina;* quod facile patebit, si eam compares cum iis

iis veræ ſimplicitatis deſcriptionibus, quas HIERON. SAVANOROLA, in libello de *ſimplicitate chriſtiana*, & beatus IO. HEINR. MAIVS, in tr. *Die chriſtliche Einfalt im Glauben und Leben cap. IV. V. VI. VII.* dederunt. Vera ſimplicitas (vt id vnum exempli loco proferamus) cum vera animi modeſtia coniuncta eſt, & in veritatibus diuinitus reuelatis, quantum illæ cumque humanæ rationis captum excedant, ſuauiter acquieſcit. Bene HERM. WITSIVS *miſcell. ſacr. tom. II. p. 591.* Suppoſito, exſtare reuelationem de myſteriis, at inquiri in ſenſum verborum, quibus iſta reuelatio mihi exponitur: non eſt in illa inquiſitione ita procedendum, vt primo rationem meam conſulam, quid ea in idearum ac notionum ſuarum ſcriniis rei, de qua agitur, ſimile aut diverſum habeat, vt ſecundum eas, quas ibi inuenio, notiones verba reuelationis exponam; id vnice operam dans, vt tandem aliquem, quanta maxima poſſum, commoditate iis ſenſum tribuam, qui iſtis meis prænotionibus optime conveniat. Sed attendendum eſt ad ipſa verba, quid in omnibus ſuis circumſtantiis ſignificare apta nata ſint, quidque ſecundum ſcripturæ ſtilum ſignificare ſoleant: atque hac via reperto ſenſu, quem verba ſine torſione per ſe effundunt, ſecure in eo adquieſcendum eſt, omniaque rationis ſcita ſubiicienda ſunt iſti ſenſui, quem iis in verbis docet DEVS fallere neſcius. Hæc WITSIVS. At enim vero in alia omnia hic diſcedere Socinianos, ex obſ. 2. 3. ad §. III. ſatis patet. Tantum enim abeſt, vt in claro ſcripturæ de ſummis fidei myſteriis teſtimonio ſimplici adſenſu acquieſcant, ſuasque ideas DEI verbo ſubiiciant; vt cuncta potius ad idearum, quas ratio in ſuis ſcriniis adſeruat, normam exigant, parati, ad ea omnia pertinaciſſime neganda, quæ cum illis non conueniunt, etiamſi clariſſimis verbis in ſacra ſcri-

ptura legerentur. Hinc ſumma fidei arcana, diſerte in divinis literis propoſita, nimbo telorum, ex rationis pharetra depromtorum, obruunt, ſuasque ratiocinationes, quamlibet in vtramque nonnumquam partem claudicantes, ſcripto verbo longe anteponunt.

2. *In vanum igitur gloriantur*, in *vindiciis vnitar.* apud SAND. p. 275. *ſe monente ſcriptura, altiora non quærere, & quæ humanum captum excedunt, curioſa indagine violare nolle.* Aliud enim eſt, curioſa indagine myſteria non violare; aliud ea ideo, quia captum noſtrum excedunt, negare hoſtiliterque impugnare. Modeſtia poſtulat, vt in rebus, ad æternam ſalutem pertinentibus, verbo reuelato maiorem fidem, quam rationis corruptæ decretis, adhibeamus. Hoc obſequium quisquis creatori ſuo denegat, quisquis cum SOCINO, *oper. tom. II. p. 204.* dicit: *Ego quidem etiamſi non ſemel, ſed ſæpe id in ſacris monumentis ſcriptum exſtaret, non idcirco tamen ita rem ſe prorſus habere crederem*; is, quantamcumque iactet mentis ſimplicitatem, ſtultiſſimæ ſe arrogantiæ reum facit, dignus, de quo canatur: *Simplex adparet, ſimplicitate caret.*

3. *Non adeo magnos illos eſſe inanium litigioſarumque ſubtilitatum hoſtes, qui ſcripta ipſorum legit, fatebitur.* Vnde im *Berl. Hebopfer* part. IV. p. 362. obſeruatur, *amorem affectatarum ſubtilitatum* eſſe inter præcipuos Anti-Trinitariorum characteres. Optandum omnino foret, ſacram diſciplinam a curioſis, ſuperfluis vaniſſimisque quæſtionum minutiis, quas theologiæ cum ſcholaſtica philoſophia coniugium inuexit, repurgari, atque ad ſimplicitatem ſobrietatemque diuini eloquii reuocari. At profecto a Socinianis id minime exſpectandum eſt, qui totam theologiam in anguſtias philoſophiæ paulo, quam ſcholaſtica eſt, defæcatio-

tioris cogunt, vti obseruat ven. ZELTNERVS, in *hist. Crypto-Socin.* p. III. Sceptica esse illorum hominum scripta, lectoremque dubium & suspensum dimittere, fatetur IOACH. PEVSCHELIVS, eorum lectione olim seductus, *ibid. pag. 931.* Magis insuper in oppugnandis nostratium doctrinis occupati sunt, quam in adstruendis suis placitis, subtiliter, vt aranearum tela, contextis; in quorum proinde laqueos plerumque incidere solent ingenia subtilia, astuta, callida, veram fastidientia simplicitatem.

4. *Quod verbis scripturæ, quam humanarum formularum, loqui malunt, id non caret ratione.* Facilius enim eis abuti, talesque cum eis notiones coniungere possunt, quales volunt. Ad fucum igitur incautis faciendum tota illa res comparata est. Ediderant Vnitarii anno 1716. breuissimam *fidei* suæ *confessionem*, ex meris scripturæ locis, quæ in margine adscripta erant, dolose contextam; quæ & *dem Berl. Hebopfer part. X. p. 852.* inserta cum animaduersionibus legitur. Recte vero auctor animaduersionum p. 863. obseruat, totam illam scenam ad animos simplices improuidosque illaqueandos instructam esse. Wenn sie, ait ille, mit ihren Lehr-Sætzen so deutlich hætten heraus gehen wollen, so würden sie vielleicht einige gar zu sehr vor den Kopf gestossen haben. Darum musten sie, wenn sie die armen Seelen recht hintergehen wollten, es anders anfangen. Man muste nemlich, um sich in guten Credit zu setzen, ein Glaubens-Bekenntniss von lauter Schrift-Worten aufsetzen, solches den Leuten in die Hænde geben, und sie fragen, ob das alles nicht gut und recht sey? Wenn denn iederman erst ja gesagt, darnach kan man endlich unter der Hand ihnen die Lehre von der heiligen Dreyeinigkeit verdæchtig machen, und was nach ihren Lehr-Sætzen die eigentliche Meynung

nung der angeführten Schrift-Stellen seyn soll, nach und nach beybringen. Damit hat man denn die Seelen gefangen, und neue Glaubens-Genossen gemacht. Occupat deinde auctor obseruationum p. 864. illorum hominum obiectionem: *Ob denn nicht gut sey, mit der Schrift reden? Ob man sie denn zwingen wolle, daß sie lieber mit Menschen, als mit Gottes Wort reden solten?* Et p. 865. respondet: 1. Sagen mir doch unsre Vnitarii, ob sie sich, wenn sie zu andern von ihrem Glaubens-Bekenntniss reden, nur allemal der blossen Worte der Schrift bedienen; oder ob sie ihnen nicht vielmehr den Verstand derselben nach ihren besondern Meynungen beyzubringen suchen. - Es kommt ja in Religions-Sachen nicht auf blosse Worte, oder Sylben, oder Buchstaben an; sondern es ist um den Verstand derselben zu thun. Wie kan es nun aber anders, als dass man die Leute betriegen wolle, angesehen werden, wenn man zwar öffentlich den Schein haben will, als ob man sich mit den blossen Worten und Redens-Arten der Schrift vergnügen wolle, aber doch heimlich sich vorbehällt, solche, wo man es nöthig oder thunlich findet, nach seinem eignen Begriff und mit seinen eignen Worten zu erklären. 2. Möchten sie immerhin ihr Glaubens-Bekenntniss mit lauter Schrift-Worten ablegen, wenn sie bey einem ieglichen Articul nicht etwa nur eine oder andre, sondern fein alle Redens-Arten, die in der heiligen Schrift von dieser oder jener Materie gebraucht werden, anführeten. - Allein so würden sie zu viel Mühe gehabt haben, alles auf ihren Sinn zu verdrehen, und solche majestätische Ausdrücke der Schrift würden dem Gemüth von Christo einen gar zu hohen und gewaltigen Eindruck geben, mit welchem sich hernach die Vorstellung der Vnitariorum, dass Christus nur ein blosser, ob wohl von

Gott

Gott unmittelbar aus dem Leibe der Jungfrau Mariæ erschaffener, und von ihm sonderlich begnadigter Mensch sey, nicht wohl vertragen würde. Daher nimmt man aus der Schrift heraus, was einem anstehet, das andre læst man liegen.„ Proponit deinde Vnitariis aliam de Christi diuinitate confessionem, similiter ex meris scripturæ phrasibus compositam, & ex illis quærit, quid eis de illa videatur? *p. 870. 871.* Ceterum idem dixeris de Socinianis, quod de *Arianis* obseruauit ATHANASIVS *oper. tom. I. p. 307.* Ariana hæresis ὑποκρίνεται, περιβαλλομένη τὰς τῶν γραφῶν λέξεις, *speciem suam dissimulat, literarum sacrarum vocibus, tamquam honesto habitu, induta.*

§. *Vocabula* VNITAS, TRINITAS, ESSENTIA, PERSONA, HYPOSTASIS *cet. sine caussa rationabili tantopere Socinianis exosa sunt.* Nam

a) Spiritus sanctus ad solam fidei analogiam Rom. XII, 6. sanorumque verborum ὑποτύπωσιν 2 Tim. I, 13. attendere nos iubet; ceterum de vocabulis, si sensus sanus sit, nihil definiens. Conf. 1 Cor. IV, 12.

b) Voces istæ *partim* in ipsa scriptura sacra leguntur, a spiritu sancto consecratæ, vt ὑπόστασις, *persona*, Ebr. I, 3. *partim* æquipollentibus vocibus exprimuntur, vt θεία Φύσις Gal. IV, 9. 2 Petr. I, 4. *partim* in concretis suis ἐγγράφοις latent, vt *vnitas*, *trinitas*, in *tribus* cæli testibus, qui *vnum* sunt 1 Ioh. V, 7. Inde τριάδος vocabulum iam seculo II. a THEOPHILO *ad Autolycum lib. II. c. XXIII.* vsurpatum; vti *Trinitatis* vocabulum eodem seculo TERTVLLIANI calamus iam frequentauit.

c) Linguarum donum in N. T. ad doctrinam euangelicam omni genere verborum sanorum proponendam, ecclesiæ datum, & per ipsius Spiritus sancti liberam verbo-

rum, in vna eademque re tradenda, varietatem confirmatum fuit.

d) Ratio docendi temporumque neceſſitas, vocum iſtarum vſum requiſiuit, tum in *theſi* ad explicationem, tum in *antitheſi* ad refutationem errorum, phraſibus biblicis incruſtatorum. Quum enim hæretici quod ſentiunt, aperte profiteri nolint, dicta autem ſcripturæ, ſuis hypotheſibus aduerſa, ſubdola interpretatione eludere ſtudeant: non vtile modo, ſed & neceſſarium fuit, ſententiam rerum, e ſcriptis collectam, certis terminis exprimere, quo e ſinuoſis tergiuerſationum latebris protracti, ita impoſtores illi conſtringantur, vt terminis iſtis vel admiſſis, ſuam ipſi ſententiam refutent, vel repudiatis, manifeſtum eccleſiæ fiat, eos a vera fide, in ſcripturis tradita, eſſe alienos. Hæc ratio eſt, cur in doctrina de Deo non potuerit eccleſia in ſimplicitate ſcripturæ perſiſtere, licet probe ſciat, terminis illis ſummum iſtud myſterium exhauriri non poſſe.

e) Gaudere eccleſiam hac & libertate & poteſtate nemo ſanus diffitebitur. Acute IO. CONR. DANHAVERVS hodoſ. p. 169. *Sicut, libro naturæ conſtituto, nominum impoſitio Adamo relicta eſt; ſic & canone conſtituto, ὀνομαθεσία, laceſſita ſophiſtarum πανεργία, qui aqua nominum turbata felicius piſcantur, eccleſiæ relicta eſt.* Et B. SPENERVS, im *Zeugniß von der ewigen Gottheit Chriſti p. 27.* Ob wir wohl die Autorität der Kirchen nicht gelten laſſen können in den Glaubens-Sachen ſelbſt; ſo können wir ihr dennoch nicht alle Macht in Einführung einiger zur Erklärung der Glaubens-Sachen dienlicher Worte und Redens-Arten abſprechen. Es gründet ſich aber dieſe Macht der Kirchen darauf, weil ihr oblieget, die reine Lehre, die nicht in den bloſſen Worten, ſondern dem rechten Verſtande derſelben beſte-

bestehet, bey ihren Gliedern zu erhalten; daher sie nicht allein die Schrift nach den Gaben des Geistes zu erklæren hat, sondern da sie sonst lieber bey den eigenen Worten ihres Bræutigams bliebe (die auch unmittelbar die Gewissen verbinden) wo die Gefahr der Irrgeister, die ihre Irrthümer unter der Schrift Worten verbergen, und damit leicht andre verführen, nicht anders abgewendet werden kan, befugt ist, sonderbare Worte, die den wahren Verstand also ausdrücken, dass sie den Irrthümern entgegen stehen, aufzubringen, um ihre Glieder bey der Wahrheit desto sicherer zu erhalten, und vor Verkehrung zu verwahren. Da denn der Wahrheit und Liebe ergebener Seelen Art und Pflicht ist, dass, wenn sie erst durch fleissige Prüfung überzeuget sind, dass die vorgelegte Worte nichts anders sagen, als was der Kraft nach bereits in den Worten der Schrift stecket, sie sich gern, aus Liebe zur Einigkeit, mit andern rechtglæubigen Mit-Gliedern zu denselben bequemen. Conf. etiam HENR. GE. NEVSSII *Prüfung des Geistes und der Lehre Christiani Democriti p. 98. seqq.*

f) Interim ista sua potestate ita vtitur ecclesia, vti æquitas christiana postulat. Idem SPENERVS *p. 28.* Indessen braucht die Kirche ihrer Macht auch mit derjenigen Bescheidenheit, so einige Seelen, denen es um GOtt ein Ernst ist, und welche die Wahrheit selbst in diesem Articulo rein behalten, nur über Worten ein Bedencken bekæmen, und sich nicht getraueten, der Worte, die der heilige Geist nicht canonisiret hat, sich zu gebrauchen, dass sie in dieselben nicht mit Gewalt dringet, sondern, mit Beyseitsetzung der Worte, mit ihrer Schriftmæssigen Erklærung zu frieden ist; damit sie sich aber ihres Rechts insgemein nicht begiebet, noch die Worte gantz abschaffet.„ Prouocat deinde ad con-

sensum theologi præstantissimi, NIC. HVNNII, in *epitome credendorum* §. 79. 88. Conf. quæ ad defendendam istam beati viri æquitatem, ab aliis in nescio quam suspicionem adductam, attulit ven. IO. GE. WALCHIVS, in der *Einleitung zu den neuesten Religions-Streitigkeiten*, *part. II. p. 164. seqq.* Adde B. BVDDEI *theol. dogm. p. 391.*

g) Socinianos non a *terminis* tantum ecclesiasticis in mysterio Trinitatis abhorrere, sed *rem ipsam* negare, quæ terminis essentiæ ac personæ significatur, satis inde adparet. 1) Quia in aliis fidei articulis voces ecclesiasticas, in quantum eorum hypothesibus haud aduersæ sunt, non improbant, sed ex parte ipsi vsurpant. 2) Quia in hac ipsa doctrina terminos *essentiæ* ac *naturæ diuinæ* ipsi vix deuitare possunt. Vnde merito ex illis quærimus, cur terminum *personæ* vel *hypostaseos*, qui Ebr. I, 3. expresse legitur, tantopere auersentur? Quod enim se cauere velle fingunt, ne indocti, quum de tribus hypostasibus audiunt, tres deos esse putent, in eo inani se metu excruciant; siquidem vnitatem essentiæ cum trinitate hypostasium in confessionibus nostris statim coniungimus. 3) Quia nonnulli, qui in terminum personæ debacchantur, sibi non ducunt religioni, alias adhibere voces, non minus humanas, ad rem vero multo magis ineptas; quales sunt voces, *Würckungen*, *Ausflüsse*, *Characteres*, *Modi subsistendi* &c. quæ ad exprimendum patris, filii & spiritus sancti personale discrimen nullo modo sufficiunt. Vide, quæ monet B. NEVSSIVS, *libro cit. p. 107. seqq.* Aliorum phraseologiæ, quibus Patrem vocant *principium emanans*, Filium *principium emanatiuum in der ausgeflossenen Welt*, *den Adam Kadmon*, *den Haupt-Menschen Gottes*, *welcher dem Vater*, *als seinem GOtt und Haupt*, *subordiniret ist &c.* non certe ex puris verbi diuini fontibus,

bus, sed ex turbidis *cabbalæ* iudaicæ lacunis hauſtæ, & ad erroneas de Deo opiniones lectoribus ingenerandas aptæ natæ ſunt. Nam iidem auctores dum reliquas etiam creaturas, inprimis materiæ expertes, ex Deo emanaſſe contendunt; ſic Dei filio non niſi quandam temporis & honoris prærogativam præ reliquis creaturis, Arianorum more, concedunt. Conf. CHR. DEMOCRITI *demonſt. euang. defenſam p. 261. ſeqq.*

h) Quæ a Socinianis, & ex parte etiam Arminianis, contra voces in hac doctrina receptas declamantur, vt, *Spiritum ſanctum vitare nos iubere nouas voces & formulas*, 1 Tim. VI, 20. c. I, 6. *nosque adſtringere ad verba, quæ ipſe docuit*, 1 Cor. II, 13. *non præbendam eſſe nouis vocabulis materiam litis &c.* ad ea, quid reſpondendum ſit, docet ven. ZELTNERVS, in *brev. controv. cum remonſtr. p. 45. ſeqq.* Adde B. BVDDEI *theol. dogm. p. 382.*

i) LVTHERVM noſtrum hic fruſtra in partes vocant Sociniani. Is enim, quando in *poſtilla eccleſ.* in *feſto Trinitatis* ait vocem *Dreyfaltigkeit*, (pro qua rectius dicitur *Dreyeinigkeit*) non ſatis commodam eſſe, ad rem illam exprimendam; reſpicit ad rudiorum inſtitutionem, qui vim iſtius vocis capere nequeunt, in quibus erudiendis quum ſummæ ſtudendum ſit ſimplicitati, eiusmodi voces, quantum fieri poteſt, germanicas eſſe adhibendas cenſet, quæ non ſuperant illorum captum. Ceterum & ipſe hanc vocem, quia commodior non datur, ſæpiſſime vſurpauit, & rem, quæ illa deſignatur, contra quosuis Anti-Trinitarios acriter fortiterque defendit, *tom. VIII. Ien. germ. f. 151.* & ſæpius. Conferatur B. BVDDEI *diatribe de origine Socinianiſmi ab eccleſiæ emendatione non repetenda p. 14 ſeqq.* & PETRI ZORNII tr. *Lutherus catholicus*, oder gründlicher Beweiſs, daſs Lutherus kein Arianer oder Socinianer geweſen, Lipſiæ, 1704.

6. *Neque vox ὁμοούσιος, qua dudum ante Nicænum concilium de filio DEI patres orthodoxi vsi sunt, Socinianis displicere posset, si Scripturæ testimoniis de Patris ac Filii, qua essentiam, vnitate fidem adhibere vellent.* Sed conf. quæ de hac voce monuit B. BVDDEVS in *instit. dogm. p. 384.* & PETRVS ZORNIVS, in dissertat. *de varia fortuna vocis ὁμοούσιος*, quæ exstat in *opusc.* eius *sacris, tom. I. p. 71.* Adde doctissimi Angli GE. BVLLI *defensionem fidei Nicænæ, sect. II. in operibus p. 25.*

7. *Neque vox αὐτόθεος, de filio Dei sano sensu vsurpata, meruit, vt tanto verborum conuitiorumque strepitu, inusto hæreseos stigmate, a* CHRISTIANO DEMOCRITO, in *vera demonstratione euangelica defensa p. 260. exagitaretur.* Dudum enim ostenderunt theologi nostri, quo sensu filius sic nominari possit. Sic IOSVA STEGMANNVS, in *Photinianismo* p. 52. obseruat: 1) Filium considerari posse dupliciter, vel respectu *naturæ*, qua vitam ac diuinitatem habet, sicut Pater; vel respectu *personæ* siue filiationis, quam habet a Patre. 2) Distinguendum esse inter communicationem essentiæ *physicam* & *hyperphysicam.* Non possunt quidem, inquit, simul stare hæc duo, *esse a se ipso*, & *habere essentiam ab alio* per communicationem *physicam* & *finitam*; sed esse a se ipso, & nihilominus habere essentiam ab alio per communicationem *hyperphysicam & infinitam*, minime pugnant. Quæ GE. BVLLVS, *operum p. 251. seqq.* aduersus hanc filii denominationem disputat, inde proficiscuntur, quia quandam hypostasium diuinarum *subordinationem* statuit, minime admittendam. Conf. ZACH. GRAPII *theologiam recens controuersam, part. I. p. 136.* & IO. HENR. HEIDEGGERI *corpus theol. christ. lib. IV. num. 44.*

§. VII.

§. VII.

Fastidiosa illa *humanorum cognomentorum detrectatio* tantum abest, vt malam Socinianorum caussam ornet ac defendat, vt eam potius prodat, grauissimisque suspicionibus exponat.

OBSERVATIONES.

1. *Nihil minus isti homines merentur, quam affectatum christianorum nomen. Christus*, inquit SMALZIVS, *est Dominus noster; ab eo denominari gaudemus omnes.* At non minus mendaciter christianorum sibi titulum arrogant, quam Iudæi olim degeneres populi Dei nomen adfectabant. Omnis Christianus ad Christi præscriptum & recte credit & sincere confitetur, Rom. X, 9. Quum igitur Socinianorum neque fides neque confessio cum Christi præscripto conueniat; nullo iure ab ipso possunt denominari. Conferatur IOS. STEGMANNI *Photinianismus p. 4 seqq.* & THEODORI THVMMII *impietas Photiniana, proleg. p. 60.* Christus nimirum in theologia Sociniana, est eximius præ reliquis ecclesiæ doctor, qui legem naturæ maiore luce donauit, & quædam alia iis adiecit, qui præterea, vt mortis horrorem tolleret, & homines in spem immortalitatis erigeret, eum in finem mortem subiit, vt, a Deo in vitam reuocatus, & immortalitatis gloria donatus, omnibus esset documento & exemplo, se, si præcepta eius seruauerint, eodem modo ex morte in vitam restituendos & immortalitate aliquando donandos. Quod etsi facilitatem aliquam in bonis actionibus adfert; quum tamen & sine hac consideratione illa omnia præstari possint, quibus vita æterna acquiritur: sequitur, *Christum tantum esse accessorium quoddam huius religionis*, eo tantum nomine adscitum, vt quocumque modo christiana

ana dici posset. Aperte enim SOCINVS *oper. tom. I. p. 626. superuacaneum iudicat cogitare de his, quæ ad Christi personam attinent, vna cum iis omnibus, quæ idem Christus pro nobis fecit & facturus est, quatenus per ea iustificari velimus;* quum omnia, quæ Christus fecit, eo tantum tendant, vt de veritate præceptionum & promissionum diuinarum confirmemur.

2. *Ipsi sibi nomina diacritica imponunt, quibus se a reliquo christianorum grege discernere volunt.* Nunc enim *Anti-Trinitariorum* nomen, & iure quidem, sibi sumunt, quod SANDIVS *bibliothecæ* suæ præfixit; nunc *Monarchianorum*, nunc *Vnitariorum* titulum adfectant. Recte tamen B. SPENERVS im *Zeugniß* von der ewigen Gottheit Christi *p. 33.* monet. *Wenn sie lieber VNITARII heissen wollen, weil sie einen einigen wahren GOtt lehren; so können wir ihnen einen solchen Titul nicht überlassen, weil wir nicht weniger einen einigen wahren GOtt bekennen, welcher ist Vater, Sohn und heiliger Geist.* Sociniani scilicet non *vnam* tantum numero *essentiam* diuinam, sed & *vnam numero personam diuinam* statuunt, patrem scilicet Domini nostri Iesu Christi, grauiterque eos errare putant, qui non solum patrem, sed etiam filium & Spiritum sanctum distinctas in vna deitate personas esse credunt, in *catech. Rac.* p. 31. 32. Nos vti, duce Scriptura, vnam Dei essentiam esse credimus; ita, eadem duce Scriptura, in hac vna Dei essentia tres esse hypostases, siue testes, qui vnum sunt, firmiter persuasi sumus. Scriptura enim in doctrina de Deo cum essentiæ diuinæ vnitate, hypostasium pluralitatem aperte coniungit, dum diuersis in locis docet, patrem esse Deum, filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum, & tamen etiam aliis locis docet, vnum esse Deum. Fieri igitur non potest, vt hæ propositiones vere

vere inter se pugnent, vti vult SOCINVS oper. tom I. p. 697. qui, *Quod attinet*, inquit, *ad ipsum communem sensum, nemo est tam stolidus, qui non videat, pugnare hæc inter se, Deum nostrum esse vnum tantum numero, & tamen tres esse, quorum vnusquisque sit ille Deus noster.* Sed in eo nimirum delinquunt Sociniani 1) quod rationis lumen sensumque communem iudicem & normam mysteriorum fidei constituunt, quæ omnem tamen rationis captum infinitis modis excedunt; 2) quod essentiam Dei infinitam metiuntur ex indole essentiarum, suis limitibus circumscriptarum. Essentia *humana* est *finita*, adeoque, multiplicatis per generationem indiuiduis, ipsa quoque multiplicatur. At essentia *diuina* est *infinita* & immensa, ac tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto. Si pars diuinæ essentiæ vna statueretur in Patre, altera in Filio, tertia in Spiritu sancto; tunc demum, multiplicatis personis, essentia etiam multiplicaretur. Iam vero tota diuina essentia est propter suam infinitatem in singulis personis, ac quælibet hypostasis totam & perfectam habet diuinitatem, vnde est, quod per Trinitatem personarum essentiæ vnitas non labefactatur; vti obseruat magnus GERHARDVS, in *disp. theol. part. I. p. 227.* Adde IAC. MARTINI tr. *de tribus Elohim, lib. I. cap. II. & lib. II. c. I. seqq.* & quæ de *sterili*, quam Sociniani Deo tribuunt, *vnitate* disserit ven. MICH. CHRIST. RVSSMEIER, in tr. *Die Lehre von der hochheiligen Dreyeinigkeit, cap. II.* Sibi igitur dicta putent vnitarii IGNATII verba in *ep. ad Antiochenos*, §. *V.* Πᾶς ἄν, ὅστις ἕνα καὶ μόνον καταγγέλλει Θεὸν, ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος, ἐστὶ διάβολος καὶ ἐχθρὸς πάσης δικαιοσύνης. *Quisquis ita prædicat vnum Deum, vt neget Christi diuinitatem, is diabolus est, & inimicus omnis iustitiæ.*

3. *Se* EBIONITAS *&* ARIANOS *vocari, passim indignantur.* Vide OSTORODI *præf.* ad suas institutiones.

De *Ebionitis* SOCINVS *oper. tom. II. p. 692.* obseruat, quod docuerint, Christum ex concubitu Iosephi cum Maria vxore fuisse prognatum, legemque Mosaicam ritualem christianis hominibus esse obseruandam; quæ somnia quum a nemine suorum adseclarum adprobentur, non sine iniuria ipsos tamquam Ebionitarum propaginem traduci. At enim non id tantum Ebionitæ (quos EVSEBIVS, ad etymologiam nominis אביון adludens, *mentis & intelligentiæ inopes* per contemtum vocat) docebant, sed illud etiam, *Iesum esse nudum hominem, patri non æqualem.* Ita enim de Ebione TERTVLLIANVS libro de carne Christi c XI. Edit. Paris. 1566. tom. I. p. 55. *Nudum hominem constituit Iesum, plane prophetis aliquo glorioſiorem.* Et (vt ipse SOCINVS agnoscit oper. tom. II. p. 420.) EVSEBIVS *hist. eccles. lib. III. c. XXVII.* testatur, quosdam saniores eius sectæ homines admisisse, Christum ex virgine natum *de Spiritu sancto*, sed *negasse, eum tanquam Deum & sapientiam Patris præextitisse, priusquam homo fieret.* Et HILARIVS de Trin. lib. II. *Ebion omne initium filio Dei ex Maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum profert.* Quum igitur hæc ipsissima sit Socinianorum sententia, *Ebionitarum*, quin & *Cerinthianorum*, nomen recusare iure non possunt. Nam & CERINTHVS Christum *hominem tantummodo* esse *sine diuinitate* contendit, teste TERTVLLIANO *de præscript. cap. XX. p. 191.* Addatur IOACH. STEGMANNI confessio in der *VII. Probe contra* BOTSACCVM cap. X. *Es haben sich jederzeit Leute gefunden, die nicht nur unsrer Lehre zugethan gewesen, sondern auch dieselbe öffentlich bekant haben - die Gnostici,* CERINTHIANER, EBIONITEN, *Noetianer, Arianer &c.*

Nomen

Nomen *Arianorum* ideo detrectant, quia longe aliter de Christo sentiant, quam ARIVS, vnde hoc nomen, non nisi per summam fallaciam iniuriamque sibi imponi, SMALZIVS in *respons. ad nova monstra noui Arianismi* p. 1. dictitat. At omnino vtrique consentiunt in *re ipsa*, nempe in neganda æterna diuinitate Christi, quamuis in *modo rei* dissentiant. *Ariani* enim Christum pro creatura reliquis excellentiori habebant, quam alii ἐξ ὐκ ὄντων, alii ex patris substantia, eo fine productam ante reliqua omnia statuebant, vt ea Deus velut instrumento ad mundum condendum vteretur. *Sociniani* vero eum non prius extitisse somniant, quam ex Maria virgine nasceretur. Eandem tamen vtrique tibiam inflant, quando filium patre inferiorem adfirmant, ὁμοούσιον negant. De *Arianis* AVGVSTINVS *libro de hæresibus cap. XLIX. Ariani ab Ario in eo sunt notissimi errore, quo Patrem & Filium & Spiritum sanctum nolunt esse vnius & eiusdem naturæ, aut, vt expressius dicatur, essentiæ; sed esse Filium creaturam, &c.* In eodem vero luto Socinianos etiam harere, quis nescit? In errore igitur *consensus*, in modo eum explicandi aliquis inter vtrosque *dissensus* reperitur. At, inquit OSTORODVS in præfat. instit. *Ariani pæne omnes, inprimis vero episcopi eorum, homines fuerunt mali & tyrannici, ita vt ceteros omnes a se dissentientes crudeliter persecuti sint; quod tamen Sociniani abominantur.* Nos ob virium id defectum fieri, valde veremur. Quod si enim veteres Arianos numero potentiaque æquarent, atque, perinde ac illi, summorum principum fauore vterentur, non aliter fortassis, ac illi, erga dissentientes sese gererent. *At*, instat OSTORODVS, *cum primis ex eo cognosci potest, nostram de Christo sententiam haud Arianam esse, quod Ariani in concilio suo Sirmiensi PHOTINI doctrinam damnarunt; quæ tamen, quantum ad*

Christum attinet, per omnia illa ipsa erat, quæ hodie & nostra est. At quid tum? Si Ariani PHOTINVM, quod in explicandi modo ab ipsis dissentiret, damnarunt, quidni novos Photini sectatores Arianis accensere liceat, qui aliis tantum cuniculis vtebantur, ad summam filii diuinitatem, vtrisque perinde exosam, penitus euertendam. Conf. SPENERI *Zeugniß p. 32.*

4. *PHOTINIANORVM tamen ac SOCINIANORVM nomina vix vlla probabilitatis specie deprecari possunt.*

Photini, Sirmiensis episcopi, doctrinam de Christo eandem fuisse cum doctrina *Socini*, OSTORODVS ipse in *præf. ad instit.* fatetur: qua in re præiuerat SOCINVS contra VOLANVM, qui inter antiquos suæ sententiæ propugnatores numerat PHOTINVM, *quem certum esse*, ait, *ipsissimam suam sententiam & sermone & scriptis acriter defendisse*; vnde & PHOTINI *sententiæ de filii Dei existentia* se cum suis *adhærere* diserte profitetur; *tom. II. oper. p. 421.* Et certe si quis *ex consensu in principalibus cum Ario Arianismi iure argui potest*, vti SMALZIVS concedit, in *resp.* ad *noua monstra noui Arianismi p. 1.* quidni iure Photinianismi argui queant, qui in principalibus capitibus cum Photino consentiunt. Ex negata enim vera & summa Christi diuinitate reliqua vtriusque hæreseos absurda sequuntur. Recte tamen ABR. HEIDANVS obseruat, in *diatribe de Socinianismo*, quæ eius tr. *de origine erroris* subiecta est, *p. 503.* Nimis tenuiter & anguste de theologia Sociniana iudicare, qui Photinianismi limitibus illam circumscribunt. *Est enim ille*, inquit, *exigua tantum vestis huius lacinia, in illum tantum finem a Socino adscitus, vt, monarchiam Dei adstruendo, viam sibi sterneret, ad conciliandas sibi omnes sectas, quæ trinitatem abhorrent.* Idem de *Samosatenianorum* nomine statuendum.

Nam

Nam *quod ad* PAVLVM *Samosatenum attinet*, inquit SOCINVS, *eum quidem nobiscum sensisse arbitramur in eo, quod Dei filium, antequam in Mariæ virginis vtero conciperetur, reuera extitisse negauerit, adeoque eius de Christi persona sententiam vniuersam parum a nostra abfuisse credimus*; in resp. altera ad resposs. ANDR. VOLANI, operum tom. II. p. 420. Conf. B. IO. GVIL. BAIERI diss. de *Paulo Samosateno*, *Socinianorum patriarcha*.

Socinianorum quoque nomen nonnullos subterfugere, SPENERVS obseruauit im *Zeugniß von der Gottheit Christi*, p. 32. Sed quum origo nouæ illius theologiæ, si materiam spectes, ad LAELIVM SOCINVM; si formam, ad infaustum eius ex fratre nepotem, FAVSTVM SOCINVM referatur, qui *Lælium* in vniuersa sua diuinarum rerum scientia vnicum magistrum agnouit, in *epist. ad Squarcialuppum*; merito illi nomen a SOCINO imponitur, *per quem Deus* scilicet *benignissimus orbi christiano detexit stratam atque expeditam ad supremam beatitudinem viam, quam per plura annorum millia humanum genus semper desiderauit, semper ignorauit*; vti gloriatur *eques Polonus*, in diss. de *vita* SOCINI, quam eius operibus præmisit. Nimirum, si credere fas est, christiana religio statim ab excessu apostolorum ingentem veritatis eclipsin passa est, quæ vsque ad SOCINI tempora durauit, ita vt, via salutis ignorata, profundis tenebris christianus orbis vniuersus immersus iacuerit, quas ante huius prophetæ aduentum nemo potuit superare. Ipsi illi venerandi ecclesiæ patres, & ex parte martyres, vero scripturæ intellectu destituti, miserandum in modum ad vnum omnes deliraruut, vespertilionum instar ad solis lumen cæcutientes. Denique si qua intermedio illo tempore superfuit veræ religionis intelligentia, purior illa inter *Iudæos* & *Muhammedanos*,

nos, de Deo vno multo rectius sentientes, extitit, quam inter christianos, trinum Deum adorantes. Quis igitur neget, a nouo illo doctore, SOCINO, eos, qui eius doctrinas amplectuntur, *Socinianos* dici & posse & debere. Equidem non omnes, qui eius partes sequuntur, in omnia eius verba iurant. Sunt, qui electicorum more alia eius decreta probant, alia improbant, vt FLORIANVS CRVSIVS, & MART. RVARVS, qui in *epist. ad* CALOVIVM, cent. I. ep. 44. *Nec enim in doctorum nostrorum verba nos iurasse exempla nonnullorum ex nostris ostendunt, qui, in explicatione doctrinæ christianæ, vestigia antecessorum libere nonnumquam deseruerunt.* Sunt, qui liberius ab eo dissentiunt, vt IER. FELBINGERVS, DAN. ZWICKERVS, CHR. OSTORODVS, cet. Interim maxima pars, quod ad errorum præcipuorum substantiam, eum magistrum agnoscit ac veneratur.

5. *Recte vero talia nomina diacritica istis hominibus, qui sub fidelium christianorum nomine latitare malunt, imponi, probatur* 1) *Auctoritate sacrarum literarum*, in quibus iis, qui a veritate recedunt, nomina auctorum suorum imponuntur; vti *Nicolaitæ* a NICOLAO, quisquis tandem ille fuerit, nomen traxere, Apoc. II, 6. 15. 2) *Summa necessitate*; quia sine certa denominatione, qua a veris christianis hæretici homines discernuntur, extrema religionis confusio, cum salutis periculo coniuncta, oritura esset. 3) *Praxi ecclesiæ*, quæ per omnia N. T. secula hanc consuetudinem tenuit, quod hæreticos ab ipsorum parentibus & antesignanis denominauit. Si autem nolunt isti homines ab homine nominari, sique christianorum ambiunt adpellationem; valedicant erroribus, ab humano ingenio excogitatis, & Christi doctrinam sincere profiteantur.

§. VIII.

§. VIII.

Quæ Sociniani de *concordia* christiana, de *tolerantia* infirmorum, de *conscientiæ libertate*, deque suo erga iniurias, religionis caussa illatas horrore suauiter declamant, Sirenum sunt cantilenæ, quibus homines in suorum errorum societatem allectos, æterna salute priuare studeant.

OBSERVATIONES.

1. *De pace & concordia Socinianorum* merito vsurpes verba IOSEPHI HALLI, episcopi Exoniensis, in *Roma irreconciliabili, sect. II. Speciosum quidem est pacis nomen - sed oderunt pacem, qui erroribus, fidei christianæ infestis, præfracto animo patrocinantur. - Non confusionis auctor est Deus, inquit Paulus, sed pacis. Confusionem quæ parit consensio, pax impia, pax nulla est. Apage a nobis pacem, quæ bellum indicit DEO.* Nimirum vt *veritatem & pacem* amemus, Deus præcepit, Zach. VIII, 19. Frustra igitur pacem in ore habent, qui odium aduersus veritatem, diuinitus patefactam, in pectore gerunt.

2. *Socinianæ religionis indoles id requirebat, vt, reductis ad paucissima capita doctrinis creditu necessariis, lata in reliquis dissentiendi porta aperiretur.* Talem enim theologiam SOCINVS meditabatur, quæ omnium sectarum receptaculum esse, & in quam omnes orbis christiani partes, salvis erroribus suis, conspirare atque coire possent. Id vnum scilicet agebat & moliebatur ille nouæ religionis architectus, vt, quum nulli alteri sectæ nomen dare vellet, omnes alias in nassam suam compelleret, & ad amplectenda sua dogmata viam ipsis complanaret, quo omnes tandem absorberet; vti obseruat ABRAH. HEIDANVS, in *diatribe de Socinianismo p. 522.*

3. *Illa*

3. *Illa igitur, quam omnibus offerunt, ſentiendi ac diſſentiendi libertate tamquam eſca quadam vtuntur, qua ingenia generoſa & frænum mordentia ad ſe adlicere ſtudent.* Quum enim, vti FRANZIVS monet in *dedic. vindiciarum*, natura hominis ſuis natiuis principiis non modo gaudeat, ſed adeo firmiter quoque illis inhæreat, vt ſola diuina virtute hinc ſe dimoueri patiatur: tanto facilius illi doctrinæ indulget, penes quam ſibi libertate ſua vti permittitur, tantoque vehementius ea auerſatur dogmata, quæ omnem rationem ſub Chriſti obſequium captiuant. - Quando igitur doctrina proponitur, quæ ab hoc moleſto vinculo carnem, ad priſtinam libertatem adſpirantem ſoluit; multo facilius inuenit adſeclas, quam quæ rigorem apoſtolicum vrget: quum aliud non faciat, ac is, qui diſcipulos, ſeueriori pædagogi diſciplina intra virtutis ac diligentiæ limites coercitos, e ſchola auocat, vt in quamcumque nequitiam impune graſſentur.

4. *Nec tamen tanta olim fuit in iſto cœtu diſſentiendi libertas, quanta verbis iactabatur.* Qui enim, oblato fratris titulo inelcatus, ſemel illi ſectæ nomen dederat, is totus pendere cogebatur a nutu ſigniferorum, SOCINI primum, qui tamen demulcere ſuos blandius ſolebat, quam iubere; deinde SMALZII, hominis valde imperioſi, maximaque & auctoritate & præſidentia pollentis: vt parum abſuerit, quin *Racouiam*, velut ad tribunal Iouis illius Capitolini, omnia e Polonia, Transſiluania, Germania & Belgio relata, atque inde oracula a ceteris expectata redditaque fuerint; obſervante ven. ZELTNERO, in *hiſt. Crypto-Socinismi p. 893.* Expertus illam ſeruitutem eſt OSTORODVS, qui, quum liberius a nonnullis Socini placitis diſſentiret, pœnæ loco, in obſcuro & remoto a ceteris ſodalibus loco, *Buſcow*, ad mortem

tem vsque relictus, neque vnquam maioribus cœtibus Socinianis præfectus est, acerbiora fortassis passurus, si diutius inter viuos superfuisset; ibid. *p. 1192.* & in *notis* ad RVARI epist. p. 167.

5. *Quod neminem a se dissentientem damnare velint, quin pro fratre illum agnoscant, si modo Christi & promissis credat, & præceptis obsequatur; id non adeo mirandum est.* Quum enim nullibi facile tolerentur; aliorum animos isthac moderatione & humanitate mitigare, sibique fauentiores reddere annituntur, quod neminem se condemnare, & in qualibet alia religione bonos quoslibet viros seruari posse contendant. Qua in re a Pontificiorum inprimis asperitate secedere voluerunt, qui in minima re ab ipsis dissentientibus anathema dicere consueuerunt. Minime id vero peculiare est Socinianis. Quotiescumque enim, vt dudum alii obseruauerunt, nouus aliquis sectarius prodit, bona ille ceteris verba dare, aliisque, dum modo ipse toleretur, omnibus salutem æternam polliceri studet; immo quo insolentiora dogmata proponit, eo, ex periculi metu, paratior est, ad plures in consortium amicitiæ suæ, quod charitatis christianæ & pacis nomine commendat, recipiendos.

6. *Ex concordiæ & tolerantiæ studio nihil pro doctrinæ Socinianæ veritate concludi posse*, iam obseruauit PAVLVS FELGENHAVER, in *refutatione paralogismorum Socinianorum*, qui in ZWICKERI *reuelatione catholicismi veri* deprehenduntur. Hinc p. 139. scribit: Das erste Argument, dass die Lehre der Socinianer die friedsamste und richtigste sey, soll dieses seyn, *dieweil keine Spaltungen unter ihren Bekennern sich erregen.* Dieses Argument ist eben so wahr, als wenn man sagen wolte: der Satan ist mit sich selbst und mit seinen Engeln nicht uneins, sonst möchte sein Reich

nicht bestehen. Ergo ist er der friedsamste Geist &c. Et p. 144. Das andre Argument soll seyn, *dieweil die Socinianer gern alle andre Secten mit ihrem Verstande dulden, tragen und aufnehmen*, oder ja solches zu thun sich öffentlich erbieten; da hingegen das Widerpart bey allen andern Secten zu finden sey. Wenn dis Argument gelten solte, und die Lehre der Socinianer iustificiren, so müste das vom Türcken auch gelten, welcher alle Secten duldet und aufnimmt.

7. *Quod neminem, qui ipsorum opiniones non amplectitur, ideo vexandum, vel iniuriis adficiendum putent, non vsquequaque verum est.* Socinum ipsum, qui insignem erga aduersarios moderationis laudem affectabat, sæpe delectatum esse mortiferis aculeis, & in ecclesia Dei execrandis, SQVARCIALVPPVS, eius amicus, ipsi exprobrat, *tom. I. p. 359.* & scripta eius passim loquuntur; maxime illud, *Quod homines regni Poloniæ* &c. *tom. I. p. 691.* in quo ecclesiarum euangelicarum famam & doctrinam innumeris calumniis violauit. Maledicum dentem, quo SMALZIVS *Franzium* nostrum, PRZIPCOVIVS ac ZWICKERVS venerandum illum senem *Comenium* lacerarunt, quis est, qui non detestetur? Vocat illum PRZIPCOVIVS oper. p. 478. *feram male cicuratam, quæ lupini rictus dentem, tametsi non absque blando Iscariotis osculo, exeruerit.* Tribuit ipsi *bilem, flabello dæmoniacæ sapientiæ suscitatam, scommata ex intimo thesauri pansophici myrotheco depromta, voces phalerata ad populum calumnia suffarcinatas, &c.* Et tamen in præfat. ad lectorem, virulento isti scripto præmissa: Reposuimus, *inquit*, homini oppugnatæ veritatis & innocentiæ defensionem ea *moderatione*, vt a maledictis abstineremus. Addit tamen: *Res ipsa exegit interdum, ne hominis superciliosi existimationi parceretur, quo minus nocituræ insontibus apud lectores fidei*

fidei aut beneuolentiæ inueniret. Quantis sæpe clamoribus synodi Socinianorum in Transsiluania & Polonia perstrepuerint, quantis odiis, qui diuersa de Christo & baptismo aquæ docebant, ab altera parte exagitati sint, STANISL. LVBIENIECII *historia reformationis Polonicæ* satis prodit. Quin nec ab infligendis *pœnis* erga dissentientes semper abstinuerunt; vti testatur exemplum FRANCISCI DAVIDIS, qui, quod in dogmate de Christo inuocando ineptis SOCINI placitis assentiri non posset, principis Transsiluaniæ, CHRISTOPHORI BATTORI, & BLANDRATAE iussu, munere exutus & carceri mancipatus est, in qua a violenta morte per naturalem 1579. liberatus fuit; quam tristiorem hominis fortunam Socino fere omnes imputarunt. Vnde ADR. REGENVOLSCIVS, de *ecclesiis Slauon.* lib. I. c. XIII. *Notandum, quod procurantibus* GE. *BLANDRATA & FAVSTO SOCINO, in Transsiluaniæ exulibus,* FRANCISCVS DAVIDIS *morti traditus fuerit.* Assecla eius SOCINVS *tom. I. p. 491.* iubet omne in rebus sacris commercium cum suis asseclis interdicere, quia necessarium illum de Christi inuocatione articulum abnegarint; vnde hi rursus de iniuria sibi illata conqueri sane non possunt, si ab euangelicis e cœtibus suis excludantur, eorumque sacris arceantur, quod alios fidei articulos, ad salutem æque necessarios, obstinate negant.

8. Hæreticos non esse plectendos, constans est Socinianorum doctrina, qua opus habent, vt suæ securitati prospiciant. Interim FAVSTVS SOCINVS in epist. ad MART. VADOVITAM, *tom. I. p. 476.* concedit, hæresiarchas, qui seditionem concitant, aut suo commodo student in hæresibus propagandis, seueriſſime tractandos, vt qui non intellectus, sed voluntatis vitio laborent. Quin illos etiam hæresiarchas, qui solius intellectus vitio laborant, instar furiosorum

& mente captorum tractandos esse, qui licet miseratione digni sint, attamen quum aliis nociui deprehendantur, reprimi soleant, & catenis etiam, si opus fuerit, constringi; sic & hos miserandos quidem esse, interea tamen conatus ipsorum, in sua doctrina propaganda, impediri oportere; idque, si aliter fieri nequeat, CARCERE & VINCVLIS. Addit quidem, id tantum de *pertinacibus* hæresiarchis esse intelligendum. At vero pertinaciæ accusatio facile cuiuis erranti intentari potest, qui in alterius sententiam, sua deserta, concedere recusat.

9. Quod non premant veterum Arianorum in persequendis aliis vestigia, id virium, quo laborant, efficit defectus. Equidem RVARVS *cent. I. ep. 84.* hanc ipsis mentem a *miti Christi spiritu* insitam esse, ait, quod ab omni oppressione, quæ cuiquam ob religionem infertur, alieni sint. At profecto eos magis abhorrere ab oppressione passiua, quam actiua, satis fortasse adpareret, si, vt veteres Ariani, ad nutum haberent potentissimos imperatores ac reges, qui ipsorum in propaganda vnius Dei Patris cognitione conatus seculari brachio secundarent. Tunc enim sub pelle ipsorum ouina *lupinam* indolem latere, pluribus fortasse documentis constaret. Quod facit, vt recordemur scripti olim a PHIL. HENR. FRIDLIBIO, Professore Theol. in academia Gryphiswaldensi, editi, cui titulum inscripsit: *Photinianische Wolfs-Klauen.*

§. IX.

Studium, dissentientes *in fide christianos omnes in concordiam redigendi*, quin & *Iudæos ac Muhammedanos* ad christianam religionem inuitandi, omni in ipsis laude caret, quia peruersissimam ea in re viam ingrediuntur. OB-

OBSERVATIONES.

1. Stulte agunt, qui ad aliorum dissidia componenda animum adiiciunt, quum inter ipsosmet plena sint omnia discordiarum. Aperte IO. VOGELIVS, a Socinianis seductus, fatetur: *Sunt inter Photinianos variæ sectæ, quas tamen omnes tolerant, licet non in vno fundamento religionis per omnia conueniant;* in ven. ZELTNERI *hist. Crypto-Soc. p. 638.* qui ipse etiam p. *939.* illorum hominum dissidia breuiter his verbis describit: Quis nescit, quantæ fuerint in *Transsiluania* ac *Polonia* disputationes eorum, qui vnanimiter mysterium sanctissimæ trinitatis impugnarunt? Dimidiam fere scriptorum ipsius FAVSTI SOCINI partem *polemica* huiusmodi *opera* constituunt, & reliqui etiam sodales semper habent, de quo, quantum ad aliorum dissensum, in opusculis suis querulentur. Noti sunt *Budnæani*, *Semi-Iudaizantes*, *Franciſci Dauidis* sectatores, etiamnum superstites, schismate a reliquis iam dudum diuulsi. Multo vero celebriores olim erant in Polonia *Ariani*, integras ecclesias diu tenentes, inter quos *Farnouiana* factio famosior erat. SANDII *bibl. p. 213.* De *baptismo*, siue prorsus omittendo, siue adultis libere aut necessario conferendo, magna contentione animorum diu inter ipsos disputatum fuit, teste LVBIENIECIO, in *hist. reform. Pol. lib. II. c. 8. lib. III. c. 3.* De *bello*, *iureiurando*, *magistratu*, & similibus, inter SOCINVM ac PALAEOLOGVM, SCHLICHTINGIVM ac PRZIPCOVIVM, ZWICKERVM ac IOACH. STEGMANNVM bella chartacea diu gesta fuerunt; vt minutiora sine numero dissidia taceamus. Mirandum igitur non est, auctorem *scrupulorum* inter alia etiam ex Socinianis quærere: *Quantum ad dogmata attinet, quum omnes Dei spiritum iactent, cur in tantum dissideant & inuicem pertinaciter sententiis depugnent? Vbi vero spiritus vnitatis, qui*

idem sapere docet? scrup. XXI. oper. Soc. *tom. I. p. 327.* Merito igitur istis hominibus, quum diffidiis alienis medicinam parant, adclamaueris: *Medice, cura te ipsum!*

2. *Id ipsum* SOCINVM *in transuersum abripuit, quod talem excogitare studuit christianæ religionis formam, quæ non christianis solum omnibus, sed Iudæis quoque ac Muhammedanis, quin gentilibus etiam, placeret.* Egregie id præ ceteris obseruauit ABR. HEIDANVS, in *diatribe de Socinianismo*, qui *p. 503.* Photinianismus, *inquit*, est exigua tantum theologiæ Socinianæ lacinia, in illum tantum finem a Socino adscita, vt, monarchiam Dei instruendo, viam sibi sterneret, ad conciliandas omnes sectas, quæ trinitatem abhorrent, & vt *ethnicis, Iudæis* ac *Muhammedanis* aditum pararet ad religionem christianam amplectendam, quam, non nisi meliore sui parte castratam, gratam illis fore sibi persuasit. Sed reuera nihil aliud sibi voluit, quam nouam & a se excogitatam immortalitatis viam pandere, eamque humano generi commendare? Quæ vt a nullo mortalium repudiari posset, & omnibus in vniuersum, quocumque errore & hæresi infectis, esset adcommodata, necesse habuit, vel ipse se in errorum istorum laqueos induere, vel saltem eos in aliis tolerare, & in omnibus tolerabiles scisscere. *Et pag. 521.* Quia vero non satis visum est, omnibus placere, nisi etiam singulis, quoad eius fieri poterat, arriderent, quas fecissent, fabulæ: hinc quia norant, maximum concordiæ inter homines gluten esse, vniformes de Deo habere sententias, maluere in gratiam *Iudæorum, paganorum, Turcarum & hæreticorum*, veras de Deo notiones & certissimos characteres, quibus se a falsis diis, & ab idolis cogitationum nostrarum, distinguit Deus ipse, abolere & in diminutum Deum credere, quam vt Deum, prout se in verbo suo patefecit,

fecit, essentia vnum, personis trinum, atque cum omnibus suis attributis & proprietatibus diuinis incorruptis & non mutilatis, confiterentur & colerent. Ita quum transegissent de *Deo*, nullo negotio cum hæreticis conuentum de *Filio*, quem omni diuino axiomate spoliatum, & in censum meræ creaturæ deturbatum, & æternitate exutum, omni officiorum potestate nudatum, nullo vero merito aut efficacia conspicuum, & sola doctrina & exemplo seruatorem, ceu δεύτερον quendam Mosen & legislatorem secundarium (vtpote cui paucula relicta essent a Mose, quæ adpendicis tantum vice adderet legi) repræsentarunt. Qua proditione id egerunt, vt si infidelibus hoc pacto placere potuisset Christus, æque infelices redderentur acceptando Christum, quam fuerant, illo carendo.

3. IVDAEIS *dum se adcommodare voluerunt, non ipsos in christianorum castra pertraxerunt, sed ipsi in Iudæorum castra transfugerunt.* In præfat. ad explic. initii Ioannis *oper. tom. I. p. 75.* satis prodit SOCINVS, se ideo in arenam contra Iesu Christi diuinitatem descendisse, *vt Iudæos ad christianam fidem alliceret*, qui portentosis istis opinionibus, quæ christianæ fidei axiomata esse credantur, ab ea amplectenda semper deterriti fuerint. Sed recte ABR. HEIDANVS *loc. cit. p. 519.* Legentibus, *inquit*, scripta eorum, adparet, eos in iis, quæ de Christi persona & officiis, de statu eius regni, fœdere gratiæ, satisfactione pro peccatis, & iustificatione ex operibus &c. adseuerant, magis accedere illis opinionibus, quas Iudæi de Messiæ persona & statu fouent, quam christianorum veræ & orthodoxæ de Christo fidei & confessioni, quum manifeste in his ἰουδαΐζειν deprehendantur. Hinc ABR. CALOVIVS in orat. anno 1643. Dantisci de hæresi Socinianorum habita, inter alia ostendit, *hac hæresi latam aperiri*

riri ad Iudaismum portam; oper. Anti-Soc. tom. I. p. 9. Et p. 43. pluribus *cognationem* ob oculos ponit, quæ *Iudaismo* cum *Socinismo*, salua quadam in nonnullis differentia, intercedat. Ipse SOCINVS *oper. tom. I. p. 491.* fatetur, quod, nisi affeclarum FRANC. DAVIDIS factio reprimatur, & de adoratione Christi (quæ tamen cum suis principiis aduersa fronte pugnat) in suis cœtibus stabilienda laboretur, *nulla ratione fieri possit, ne vbique* IVDAISMVS *vigeat, vel turpis potius epicureismus atque atheismus.*

4. *Dum* MVHAMMEDANORVM *ingenio suam theologiam attemperare voluerunt, idem, quod de Iudæis obseruauimus, ipsis contigit.* Præiuerat ea in re MICH. SERVETVS, lib. I. de Trin. erroribus f. 42. 43. qui ideo Trinitatis opinionem e religione christiana exterminatum ibat, quia *illa Muhammedanis, pro dolor, magna derisionis occasio fuerit.* Quæ res oculos eius ita fascinarat, vt Muhammedis de Christo opiniones christianorum opinionibus longe anteponendas censeret. *Audi*, inquit ibidem, *quid Mahomet dicat. Nam maior est adhibenda fides vni* VERITATI, *quam hostis fatetur, quam centum nostrorum* MENDACIIS. *Inquit enim in suo* ALCORANO, *Christum fuisse summum prophetarum, spiritum Dei, virtutem Dei, flatum Dei, propriam Dei animam, verbum adflante Deo ex virgine natum. &c.* De IO. VAL. GENTILE ipse SANDIVS, in bibl. p. 27. *Adiecit noua collectanea, ex scriptura, patribus &* ALCORANO, *pro sua stabilienda sententia.* Vnde STAN. LVBIENIECIVS, in *hist. ref. Pol. lib. II. c. V. p. 109.* de eo scribit, eum acerrime dogmati vulgari de Trinitate restitisse, *ita vt Muhamedismum ei prætulisse scribatur.* Et hic ipse Lubieniecius p. 96. de SERVETO: *Is apis instar cuncta sibi profutura vbique colligens, & ex ipsis* ALCORANI, *in dogmata de Deo trinuno & Iesu Christo summo Deo, grauiter inue-*

inuehentis, tribulis, mellis materiam exsugebat. Iisdem vestigiis institit FAVSTVS SOCINVS, qui in *resp. ad parænesin* ANDR. VOLANI *oper. tom. II. p. 387.* Vos, *inquit*, eas de Deo Christoque eius opiniones in ecclesiam inuexistis, quæ sanctissimam religionem nostram & Iudæis & *Muhammedanis* omnibus deridendam exponunt: qui tamen, simul atque a nostris hominibus admonentur, rem aliter se habere agnoscunt, & paullo æquiores se apostolicis scriptis præbent. Sed recte GE. ASHWELL, *de Socino & Socinianismo p. 39.* Socinus eiusque socii, proscriptis e christiana religione iis dogmatibus, quæ scandalo infidelibus esse solent, viam se parasse existimarunt, qua hi in caulam ecclesiæ introirent. Sed quo successu hoc tentarunt? *Isti infideles non sunt conversi, at hi boni reconciliatores facti sunt apostatæ.* Si quidem haud ignotum est, quamplures ex Anti-Trinitariorum schola prodiisse, qui partim in Iudaismum, partim, vt NEVSERVS, in Muhammedanismum prolapsi sunt.„ De Socinianæ ac Muhammedanæ religionis cognatione videatur rursus ABR. CALOVIVS, *oper. Anti-Soc. tom. I. p. 9. 39. seqq.* & cel. LA CROZE *diss. histor. tom. I. p. 1. seqq.* Conf. ven. IO. MICH. LANGII diss. de *fabulis Muhammedicis circa trinitatis mysterium & generationem filii Dei*; ex qua id lector discere potest, iisdem armis aduersus hæc dogmata Muhammedem pugnare, quibus vtuntur Sociniani. Obseruat insuper vir doctus *p. 77.* originem istarum fabularum Muhammedicarum ex doctrina *Arianorum* & *Photinianorum* de Christo esse deriuandam.

§. X.

Quod *consensum cum ecclesiæ* siue *primitiuæ* siue *euangelicæ* doctrina iactant, in eo strenue men-

tiuntur; vtque ob quasdam veritatis lacinias, quibus suæ religionis centonem ornant, ab *hæreseos* crimine absoluantur, immerito postulant.

OBSERVATIONES.

1. *Doctrinam, quæ in nostra ecclesia viget, de Christo, ac salutis per eum partæ ordine, eandem esse, quam primitiva ecclesia tenuit, a viris sacræ antiquitatis peritis dudum comprobatum est.* Videantur ex. gr. BALTH. BEBELII *antiquitates ecclesiæ euangelicæ in prioribus post Christum natum seculis.* Addantur testimonia veterum de *satisfactione* Christi, GROTIANAE *defensioni fidei catholicæ de satisfactione* subiecta. Neque nullius momenti illum consensum esse B. SPENERVS obseruauit in opere posthumo *von der ewigen Gottheit Iesu Christi* p. 16. Quin & veterem ecclesiam *Iudaicam* puriorem in doctrina de trinitate, deitate Messiæ, satisfactione &c. nobiscum sensisse IOANNES MEYERVS, in diss. *de mysterio Trinitatis* e solis V. T. libris demonstrato, atque ex veterum Iudæorum rarissimis monumentis illustrato; PETRVS ALLIX, in *iudicio veteris ecclesiæ Iudaicæ* aduersus Vnitarios; IO. HENR. MAIVS, in *theol. Iudaica*, aliique, affatim docuerunt.

2. *Socinianorum doctrina nullo alio titulo antiquæ ecclesiæ consensum allegare potest, nisi quatenus in* ARIO, PHOTINO, PAVLO SAMOSATENO, *aliisque hæresiarchis, magno verorum doctorum consensu damnata fuit.* Valde autem dissona sunt, quæ de doctoribus primitiuæ ecclesiæ Sociniani garriunt.

a) Quidam putant, veram de Christo, nudo homine, doctrinam ab apostolis patefactam, mox succrescentium errorum spinis obsitam, diraque caligine abditam fuisse, a Socino

cino demum, exacto fabularum ſenticeto, ac reddita veritatis luce, rurſus manifeſtandam; vti ait *Eques Polonus* in vita Socini eius operibus præmiſſa. Sed recte SPENERVS *loc. cit. p. 17.* Daſs der Herr JEſus ſolte zugelaſſen haben, daſs der ſchreckliche Irrthum (wie ihn die Gegner dafür ausgeben) von der heiligen Dreyeinigkeit, darin die wahre Gottheit Chriſti mit begriffen iſt, durch welchen in der That drey Götter an ſtatt des einigen gemacht würden, und der auch den gantzen Gottesdienſt verderbte, von Anfange an bishieher ſo viele ſecula nach einander in der gantzen Kirche ſo einriſſe, daſs auch wircklich alle dero Glieder damit angeſtecket würden; iſt nicht zu begreiffen, wie mans mit deſſen Liebe, Sorge für ſeine Kirche, Barmhertzigkeit, Weisheit und Wahrheit vergleichen könne, welches die Sache der Widerwærtigen ſehr graviret.„ Addatur ABR. HEIDANI diatribe de *Socinianiſmo* p. 501. qui aduerſus hanc ſententiam ita diſputat: Via illa ad ſalutem, a Socino monſtrata, *vel* eſt illa via, qua ignorata nemo ſalutis compos fieri poteſt, *vel* eſt talis, vt ſine eius clara cognitione ſalus conſtare poſſit. Si *primum* dicatur, magna inuidia creatur φιλανθρώπῳ Deo, qui permiſit, vt tanto theſauro per tot ſecula genus humanum, cum æternæ ſalutis iactura, caruerit. Si *alterum* dicatur, quid opus eſt hanc ſalutis viam tam grandibus verbis exornare? aut quid omnino opus fuit Socino?

b) Alii veram de Chriſto homine quaſi deificato doctrinam poſt apoſtolorum mortem, per nonnullos teſtes veritatis, hæretici nominis infamia a reliquis notatos, cuſtoditam propagatamque fuiſſe concedunt. Conf. SOCINI *tom. II. oper. p. 421.* Quinam illi veritatis teſtes fuerint, audi ex IOACH. STEGMANNO, *in der VII. Probe contra* BOTSACCVM, theologum Gedanenſem *cap. X. pag. 416.* Es haben ſich iederzeit

Leute gefunden, die nicht allein unſrer Lehre zugethan geweſen, ſondern auch dieſelbe öffentlich bekannt und gelehret haben; denn ſonſt würde man nicht ſo viel Bücher wider ſie geſchrieben, concilia gehalten, und ſonderliche Ketzer-Titul von ihnen gemacht haben. Nemlich die *Baſilidianer*, *Carpocratianer*, *Gnoſtici*, *Cerinthianer*, *Ebioniten*, *Valentinianer*, *Florianer*, *Archontici*, *Cerdonianer*, *Marcioniten*, *Noetianer*, *Arianer*, haben vor dem concilio Nicæno gelebt, andre ſind hernach gefolget. Eodem quodammodo tendit CHRISTOPHORI SANDII in *nucleo hiſtoriæ eccl.* inſtitutum. Ita non pudet iſtos homines, hæreticos diu ex ſcriptura errorum conuictos, & ab eccleſia damnatos, tamquam progenitores ſuos adlegare. Quis hic non exclamet: *Mali corui malum ouum!*

c) Alii primos illos ac venerandos eccleſiæ doctores, quos *patrum* nomine inſignire ſolemus, inter quos multi fuere, qui pro Chriſti doctrina ſanguinem fuderunt, tamquam veritatis, ab apoſtolis traditæ, corruptores accuſant. Frequenter maledicus SOCINI calamus eos nunc *ignorantiæ plus quam puerilis*, *nunc ſacrilegæ in veritate ſupprimenda perfidiæ* accuſat, nunc aliis modis petulanter traducit. In grauiſſimo ſaltem omnes errore fuiſſe, audacter pronuntiat in *epiſt. 3.* ad RADECIVM, tom. I. p. 391. Vnde factum eſſe, *inquit*, exiſtimas, vt ab ipſo ferme naſcentis eccleſiæ Chriſti initio, vsque ad noſtra tempora, tot viri, adeo vt nullus ſit numerus, non minus pietate quam doctrina clariſſimi, tot ipſius Chriſti ſanctiſſimi *martyres*, *grauiſſimum illum errorem ſecuti fuerint*, quod Chriſtus ſit ille vnus Deus, qui omnia creauit, aut certe ex illius ſubſtantia propria genitus &c.„ Alii Patres Nicænos & Ante-nicænos *tritheiſmi* accuſant (quam fabulam nuper recoxit CHRISTIANVS DEMOCRITVS)

TVS) eorumque de trinitate ideas ex philosophiæ *Platonicæ* fontibus deriuatas esse temere iudicant, vt auctor libri: *Le Platonisme devoilé*, quem SOUVERAIN vel SVPERANIVM dicunt, ecclesiasten olim in prouincia Galliæ Pictauiensi, testibus *Memoires de Trevoux*, 1703. p. 386. DAN. ZWICKERVS & auctor *cogitationum de primo & secundo Adamo*, SAM. CRELLIVS, Ioannis nepos, aliique trinitatem nostram in IVSTINI *Martyris* cerebro natam educatamque esse calumniantur; quod illepidum commentum refutat ac Iustinum a calumnia vindicat IO. AMOS COMENIVS & GE. BVLLVS, in *primitiua & apostolica traditione dogmatis in ecclesia catholica recepti de I-su Christi diuinitate.* Adde PETRI ZORNII *vindicias patrum*, contra recentiores eorum censores, Anglos, Belgas, Gallos, in *opusc. sacris*, *tom. I. p. 659. seqq.*

d) Alii in contrariam sententiam ruentes, tam felices sunt & perspicaces, vt in ipsis patribus Ante-Nicænis suæ de Christo doctrinæ vestigia deprehendant; vnde varia ex illis loca, incautioresque locutiones corradunt, ex quibus, pessime detortis ac mutilatis, antiquos illos doctores, eadem, quæ Arius, Photinus, Socinus, de Christo sensisse, demonstrare volunt. Hanc viam ingressi sunt ex nouis Arianis CHRISTOPHORVS SANDIVS, in *nucleo hist. eccles.* quæ rerum vndecumque corrasarum colluuies rectius *apologia Arianismi* vocaretur, nec non GILBERTVS CLERICVS, in *Anti-Nicænismo*, GVIL. WHISTON, in *hypotyposi fidei priorum duorum Seculorum de trinitate & incarnatione Domini &c.* Ex Socinianis post ZWICKERVM, hanc viam calcauit LVCAS MELLIERVS, hoc est, SAMVEL CRELLIVS, in *fide primorum christianorum* ex BARNABA, HERMA & CLEMENTE Romano demonstrata.

3. Vanam vero prorsus esse Socinianorum de consensu pri-

morum patrum gloriationem, quiuis facile perſpiciet, qui illorum ſcriptis legendis tempus aliquod tribuere poteſt. Cui tamen non vacat, ei teſtimonia, omni exceptione maiora, ex patrum ſcriptis collecta, &, ſicubi opus, vindicata ſequentes auctores ſuppeditabunt. ABRAH. CALOVIVS in *confeſſione martyrum & aliorum fidelium, ac inprimis eccleſiæ doctorum, poſt apoſtolorum exceſſum vsque ad concilium Nicænum, de SS. Trinitate*, quæ inſerta eſt *operibus* beati viri *Anti-Soc. tom. II. p. 484.* VRB. GODFR. SIBERVS, in ſched. *Martyres diuinitatis Chriſti teſtes.* GE. BVLLVS, in *defenſione fidei Nicænæ de æterna diuinitate filii Dei ex ſcriptis patrum, qui intra tria prima eccleſiæ chriſtianæ ſecula floruerunt.* Addatur eiusdem *Iudicium eccleſiæ de neceſſitate credendi, quod Chriſtus ſit Deus.* Item *Primitiua & apoſtolica traditio dogmatis in eccleſia catholica recepti de Ieſu Chriſti diuinitate.* IO. ERN. GRABE, in *adnotatis* ad BVLLI *opera.* SAMVEL GARDINERVS in *delineatione catholicæ circa Trinitatem fidei ex ſcriptis patrum Ante-Nicænorum deſumta*; & in aliis aduerſus *Hermannum Cingallum*, hoc eſt, SANDIVM ſcriptis. BENED. PICTET, in *theol. chriſt. tom. I. lib. III. c. 20.* Conf. etiam das *Berlin. Hebopfer, part. XXV. p. 338. ſeqq.*

4. *Ab euangelica eccleſia toto cælo diſſentire Socinianos, vel cæcus videt.* Diſſenſum vero illum eſſe fundamentalem vix eget probatione. *Nos* prophetarum atque apoſtolorum teſtimonio; *Sociniani* rationis humanæ ſuffragio nituntur. *Nos* Chriſtum pro vnico ſalutis fundamento agnoſcimus, qui tamquam verus & æternus Deus, cum noſtra natura coniunctus, per obedientiam ſuam & legem impleuit, & noſtras pœnas ſuſtinendo diuinæ iuſtitiæ ſatisfecit, iure nobis ad Dei communionem parto; *Sociniani* in his veritatibus explodendis omnes ingenii vires conſumunt. *Nos* fide Dei promiſſiones

siones amplectimur. *Sociniani* ne opus quidem esse existimant, vt quis illarum promissionum notitia sit imbutus, si modo præcepta Dei obseruet. *Nos* Socinianos pro hæreticorum pessimis habemus; *illi* nobis vicissim grauissimos exprobrant errores, & tales quidem, qui vix vllo modo permittunt, vt, qui eas tenet, in nullo peccato maneat, quique salutis æternæ viam præcludunt, ac proinde ad suum nos cœtum inuitant, vt SOCINVS peculiari libro fecit; *oper. tom. I. p. 691.* *Nos* Socinianos non possumus non habere pro idololatris, vid. supra p. 81. seqq. *illi* nos vicissim idololatris adscribunt, quum Trinitatem nostram idolum vocent, nostramque de sacra cœna doctrinam, cum SMALZIO suo, *crassam & deplorandam idololatriam* adpellent. Merito igitur nos ad illos: μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, vt in vnam ecclesiam, nisi depositis prius erroribus vestris, coire non possimus. Vbi enim nulla in fundamento fidei consensio, ibi nulla vnio ecclesiastica locum inuenire potest. Hinc nec FRATRVM nomen a Socinianis acceptare possumus. Nec enim, vt IOSVA STEGMANNVS, in *Photinianismo p. 5.* obseruat, illi habent eundem nobiscum *patrem*, Deum triunum, nec eandem *matrem* ecclesiam, cui se per baptismum initiari non credunt. Non sunt ex eodem nobiscum *semine* verbi nati, quod horrendis modis deprauant. Non habent eundem nobiscum *fratrem*, Christum θεάνθρωπον. Non habent eandem nobiscum *fidem*, quæ fraternitatem conciliat. Non exhibent nobis *fraternam charitatem*, vt quorum doctrinam & vitam pessimis modis insectantur. Ipsi igitur iudicent, qui fieri possit, vt eandem nobiscum adeant *hereditatem*; quidquid sibi in contrarium blandiatur SMALZIVS. *Spero*, inquiens, *immo certo persuasum habeo, nos non tantum in hac, sed etiam in altera beata vita Deum cum sanctis angelis*

angelis concelebraturos; in *refut. thesium* SCHOPPERI, Altorfini theologi, de *Trinitate* p. 41.

5. Laudes, quas LVTHERO *aliisque ecclesiæ euangelicæ capitibus vna manu tribuunt, altera retractant.* Per *Lutherum* ea patefacta esse SOCINVS dicit, quæ ad hominem fidelem constituendum sunt necessaria, quæque satis esse poterant ad salutem æternam consequendam, *tom. I. p. 327.* Id vero si ita est, cur schisma fecit SOCINVS cum suis sociis in ecclesiis euangelicis? Cur discipulos suos a publicis earum conuentibus & ab omni sacrorum communione, semotos voluit? Cur segreges suorum cœtus instituit, ob res ad salutem minime necessarias? Cur dogmata sua, tam noua in se, tam euangelicorum doctrinæ aduersantia, tanto feruore zeloque vbique vrget, & tamquam necessaria ad salutem cunctis inculcat? Cur euangelicorum dogmata alibi impugnat ac damnat, vt summe pernicioſa, ridicula, absurda, impia, contradictoria, æternamque impedientia salutem? Sic merito cum GE. ASHWELLO in disp. *de Socino & Socinianismo* p. 246. ex ipso quærimus. Palpum igitur obtrudit turpiterque adulatur ecclesiis euangelicis, dum eas, licet in multis & grauibus erroribus eas versari credat, non tamen sic se damnare ait, vt omnino a cælesti regno excluſum eas iri affirmet, *tom. I. p. 707.* Dum enim *trinitatem* quam ecclesia euangelica credit, pro errore habet, quo nullum grauiorem antichristi spiritus inuexit, immo pro fictitio idolo, ac humani cerebri commento; cunctos illius cultores pro *idololatris* habeat, necesse est. Iam vero quum alibi pronuntiet, *neminem idololatrarum æternæ salutis compotem fore*, tom. I. p. 502. qua conscientia peruersus homo euangelicis aut iura fraternitatis offerre, aut spem salutis facere potest?

6. Veritates, quas passim spargere videntur, per admixtos

tos errores plane eneruant, dumque alibi illis contraria docent, turpissimis sæpe contradictionibus implicantur. Recte ac præclare SOCINVS in epilogo ad solutionem scrupulorum tom. I. p. 333. *Si quid in scripturæ libris non vno tantum aut altero in loco, sed vbique passim, idque clarissimis verbis, contestatum deprehendimus: nihil prorsus est nobis dubitandum, quin id verissimum sit, QVIDQVID HVIVS SECVLI SAPIENTIA NOBIS SVADEAT. Alioqui si ex sensu nostro in rerum diuinarum cognitione vlla ratione pendere voluerimus, eumque apertissimis Spiritus sancti testimoniis opponere, facile fiet, vt in omnem pietatis neglectum prolabamur.* Sed quam vehementer sui oblitus est, quum alio loco, *de Christo Seruatore part. III. c. VI.* scribit: *Ego quidem etiamsi non semel, sed sæpe, id in sacris monumentis scriptum extaret* (Christum pro peccatis nostris Deo satisfeciſſe) *non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem, vt vos opinamini. Quum ea, quæ fieri non posse aperte constat* (vti paullo ante scripserat) *diuinis etiam oraculis, ea facta fuisse, in speciem diserte attestantibus, nequaquam tamen admitti possint &c.* Recte CALOVIVS, *op. Anti-Soc. tom. I. p. 20.* Concilient, inquit, ista SOCINI discipuli. 1) Si quid passim clarissimis verbis contestatum in scripturis deprehendimus: nihil prorsus dubitandum est, id esse verissimum, quidquid etiam huius seculi sapientia, ratiociniis armata, nobis suadeat; quidquid ex sensu nostro Scripturæ testimoniis opponere valeamus. Et 2) tametsi sæpe clarissimis verbis testatum reperiretur in Scripturis, quod Christus pro nobis satisfecerit: nondum tamen sic rem se habere compertum esset, quum id fieri non potuisse aperte constet. Hic merito vsurpes illa NIEMEIOVII ad Socinum verba: *Vide, quomodo dominus FAVSTVS dominum SOCINVM oppugnet;* tom. I. op. Soc. p. 405. Similem

contradictionem obseruat BALTH. MEISNERVS, in *consid. theol. Phot. p. 278.* Modo scribunt, *inquit*, articulum de Trinitate fundamentalem haud esse, adeoque salutem per se non adimere. Modo, sui obliti, adserunt, articulum de Trinitate esse horrendum, blasphemum & idololatricum dogma, quo proinde fieri aliter non potest, quin omnis salutis spes præscindatur. Vide quæ de *contradictionibus* Socinianorum obseruat ABR. CALOVIVS, *oper. Anti-Soc. tom. I. p. 47. seqq.* & adde GE. ASHWELLI *diss. de Soc. pag. 245. seqq.* vbi ostendit, quomodo concessæ hinc inde a Socinianis veritates in gladium conuerti queant, quo caussæ ipsorum iugulum petatur.

7. Ex hæreticorum catalogo vt eximantur frustra postulant, quamdiu veterum hæreticorum placita, in suam theologiam adscita, non detestantur. Hanc ipsam enim nihil aliud esse, quam variarum hæresium confluxum colluuiemque, pluribus demonstrat ABR. CALOVIVS *loc. cit. p. 43. seqq.* Quæ ipsi contra hæreseos imputationem excipiunt, refutat THEODOR. THVMMIVS, in *impietate Photiniana*, in *proleg.* p. 55. seqq. Quin SAM. MARESIVS, in præf. ad *hydram Socinianismi expugnatam: Socinianismi*, inquit, *virus cor ipsum christianismi petit, estque tanto ceteris hæresibus nocentius, quanto pestis alias febres superat.*

8. Hæreticum nomen nullo nobis iure imponere possunt. Per nos enim in hæreticorum societatem non detruduntur; sed ipsi eam sponte ambiunt, suumque cum illis consensum verbis etiam impudenter profitentur. Sic Albæ Iuliæ 1568. libellus prodibat *de Mediatoris Iesu Christi hominis diuinitate*, cuius *cap. VIII.* recensentur *Paulus Samosatenus, Arius, Eunomius, Praxeas, Photinus, Cerdon, Marcion, Manes, Apelles, Sabellius &c.* quos selectos, vt Scriptor ille vocat, auctores

suæ

ſuæ de Deo & Chriſto confeſſioni vel directe, vel oblique fauiſſe adſerit. Conf. STEGMANNI confeſſionem p. 124.

§. XI.

Quum Socinianorum doctrina ipſa veræ pietatis fundamenta euertat, a mala iſthac arbore non niſi putres fructus exſpectari poſſunt. Quantamcumque igitur *ſanctitatis* laudem venentur; ſpectra tamen laruæque virtutum ſunt, quibus vera vitia conteguntur.

OBSERVATIONES.

1. *Scopus, quem illi ſibi homines præfixerunt, poſtulabat, vt laudem ex pietate aucuparentur.* Quum enim noua ſua religionis fabrica id molirentur, vt diſſentientes omnes ad ſe allectos caſſibus ſuis circumretirent, opus erat, ſingularem fraudibus illis prætexere pietatis zelum; cuius proinde quandam velut artem, hactenus ignoratam, oſtentant, & in confeſſoribus ſuis laudant. Hinc RVARVS *cent. I. ep. 74. p. 294.* Multos, *inquit*, & ego & alii audiuimus, qui, quum ob ſenſum in religione hæreſeos nos grauiſſimæ accuſarent, *virtutum* tamen *laudem* vltro etiam præ ſuis nobis concederent. De ſe ipſo vero SOCINVS in reſponſ. ad epiſt. Squarcialuppi: *Quum præter animi ſummam quandam ingenuitatem, quam mihi natura indidit, Deus pietatem aliquam cordi meo inſeuerit, &c.*

2. *Vera ac probata pietas tum demum ex doctrinæ Socinianæ principiis efflorescere poterit, quando ex ſpinis vuæ, ex tribulis ficus colligentur.* Hæc enim theologia, iudice ABR. HEIDANO, in *diatribe de Socianiſmo p. 502. 513.* nihil aliud eſt, quam rationis humanæ luſus, theologiæ naturalis emendatior typus, myſterii pietatis emaſculatio, chriſtianismi

infelix ſtuprum, informis ingenii humani partus, ex adulterio rationis & ſcripturæ conceptus, & obſtetricante philoſophia natus, quem exponere præſtat, quam tollere, fidei ab omnibus chriſtianis receptæ turpis μεταμόρφωσις, apoſtaſiæ a Chriſto ſymbolum, fidei ſcopulus, obedientiæ, quam fere ſolam crepant vrgentque, naufragium. Eſt religio nomine tantum chriſtiana, cuius Chriſtus non eſt fundamentum ac centrum, vtpote qui in ea non agnoſcitur ſalutis auctor & acquiſitor, ſed tantum confirmator & exemplar, tam nullo vinculo neceſſario cum hac ſalutis via connexus, vt ſine eo & per alium omnia, quæ ad ſalutem pertinent, procurari potuerint. Non poteſt igitur tetra hæc arbor bonos fructus proferre, fructus Spiritus, fructus fidei, fructus iuſtitiæ, qui per Ieſum Chriſtum in Dei gloriam laudemque cedant. Quin potius vti Sociniana religio purus eſt *naturaliſmus*, chriſtiano nomine obductus, ſupra *p. 9.* ita vniuerſa, quam illa parit, pietas purus eſt *Phariſaiſmus* ac *Pelagianiſmus*; de quo IO. CLOPPENBVRGIVS, in compendio Socinianiſmi confutato, p. 190. *Fatemur*, inquit, *perſpectis Socinianiſmi myſteriis, horreſcere nos profanda Satanæ, & ſtupere ad monſtroſam Phariſaiſmi cum Sadducæiſmo, ſub chriſtiano nomine, coalitionem.* De illorum pietate hoc teſtimonium perhibet DIPPELIVS, in ſic dicta *vera demonſtr. euang. p. 363* Der Umgang, den ich vor dieſem in Holland, und auch in Berlin, mit einigen Socinianern, und zwar den beſten von ſolchen Leuten, gehabt, hat mich ſattſam überzeuget, daſs ſie in ihrem Leben eben ſo leer von Chriſto und GOtt ſind, als ihre Lehre mit ſich bringet, und daſs ſie zwar vor andern einen Schein eines chriſtlichen Wandels und einer civilen Conduite haben; dabey aber in leeren Fragen, Meinungen und Grillenfängereyen über die bloſſen expreſſionen der

Schrift

Schrift ihr beſtes Vergnügen ſuchen. Ich habe in Holland, da man ſie *Collegianten* heiſt, etliche mal aus Curioſitæt ihre Collegia beſuchet, und nichts, als Eckel und Verdruſs, wegen ihres nærriſchen Diſputirens über die Schrift empfunden. Denn weil in ihnen ſelbſt keine weſentliche Wahrheit und Leben des Geiſtes iſt, ſo wird nur leer Stroh gedroſchen, und ein jeder gefællt ſich über die maſſen wohl, wenn ſeine ſchöne Inuentiones applauſum finden.„ Conſentit SAMVELIS MARESII, theologi tunc Groningani, teſtimonium, in præf. ad *hydram Socinianiſmi expugnatam:* Ipſi Socinianí, qui morum maiori ſanctimonia ceteris volunt antiſtare, & quos haud immerito dixeris Phariſaiſmum & Sadducæiſmum ſimul, mira ſane vafritie, in Chriſtianiſmum inuehere, magis tamen vacant diſputationi dogmaticæ, quam emendationi vitæ; nec poſſunt aliter, ſi ſuis inhæreant placitis, quam ſimulare curios, & bacchanalia viuere.

3. *Ipſe* SOCINVS *de incrementis pietatis in ſuo cœtu nihil certi adfirmare audet*, tom. I. p. 333. Immo quum ei obiectum eſſet, haud paucos eius ſodales in quendam *atheiſmum* prolapſos eſſe, ita vt alii aperte Chriſtum, alii etiam Deum & inferos negent; non habebat, quæ reponeret, niſi illud Ioannis, male huc adplicatum: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi ex nobis fuiſſent, manſiſſent vtique nobiſcum.* ibid. p. 331. Sed parum hoc valet ad dogma Socinianum illiusque patronos ab hoc apoſtaſiæ crimine vindicandos, quum genuina ſit iſtius doctrinæ proles, quippe quæ fidei pietatisque fundamenta omnia ſubuertit: quibus e medio ſublatis, quid amplius reſtat, quam opinionum incertitudo, diſcurſatio vaga per inextricabiles errorum labyrinthos, viciſſitudo religionum & cultuum, quos deſultoria leuitate inuicem permutant, præcepsque tandem in abyſſum

atheismi ruina. Conferatur etiam NICOLAI ARNOLDI, theologi Franequerani, *atheismus Socinianus*, a. *Io. Bidello*, sub specioso scripturæ titulo orbi obtrusus. Franequeræ, 1659.

4. *Non solum vero nulla genuina pietas ex doctrinæ Socinianæ principiis nascitur, sed genuinæ etiam pietatis fundamenta iis euertuntur.* Longa id & solida deductione probat beatus IO. GERHARDVS in *disput. theol. part. I. p. 610. sqq.* vbi, eundo per partes, ostendit, quomodo Photiniani praxin *contritionis*, *fidei & nouæ obedientiæ* suis doctrinis labefactent atque impediant. Eundem sibi scopum præfixit IO. CONRADVS DÜRRIVS, theologus Altorfiensis, in libro: *Christianismi per hypotheses & dogmata Socinianorum euersio.* Addatur THEODORI THVMMII, theologi Tubingensis, *impietas Photiniana*, proleg. *p. 34. seqq.* Id vnum saltem obseruamus, latam secure peccandi portam improbis hominibus aperiri, dum veterum Socinianorum doctrinis metu æternorum cruciatuum penitus soluti, proposita delinquentibus impunitate, ad maiorem delinquendi audaciam excitantur. Nam vti pietas tollitur, remotis præmiis pietati promissis; ita impietas promouetur, sublatis vel saltem extenuatis pœnis, ei divinitus constitutis. SMALZIO enim teste, *veræ caussæ pietatis sunt hæc duo*, AMOR *vitæ æternæ*, & METVS *iræ diuinæ.*

Quod autem Sociniani negent pœnas impietati constitutas, id inde GERHARDVS l. c. p. 621. probat. 1) Quia negant, Deo ineſſe naturaliter talem iustitiam, quæ nullum peccatum dimittere impunitum possit. 2) Quia de animæ immortalitate admodum dubie & perplexe loquuntur. *Hominem morte penitus dissolui, ita vt nihil plane sit; animasque post mortem nihil sentire, aut agere, immo nequidem in se re ipsa subsistere*, auctor *compendioli*, cum Socino suo, aperte fatetur *cap. VIII. §. 7.* vbi vide CLOPPENBVRGII adnotationes,

nes, *p. 142.* 3) Quia illos quidem impios, quos dies vltimus viuos deprehendet, in ignem cum diabolo detrusum, reliquos vero, semel mortuos, numquam ad vitam reuocatum iri, quidam saltem docuerunt. Vid. auctor *comp.* p. 134. 147. & SMALZIVS *contra Franzium* p. 409. 4) Quia æternas fore impiorum pœnas plurimi negant, dum eos vel non esse resuscitandos, vel post resurrectionem statim in nihilum redigendos, & anima pariter ac corpore delendos esse iudicant. Videatur rursus SMALZIVS *contra Franzium p. 410. sqq.* Tam lubrica inprimis & impia FAVSTI SOCINI de hisce rebus doctrina fuit, vt ipse in *epist. 6.* ad VOLCKELIVM *oper. tom. I. p. 455.* fateri cogatur, in scriptis suis ea de resurrectione ac morte impiorum passim contineri, quæ a multis sine magna offensione legi non possint. Vnde & RVARVS, ZWICKERVS, IER. FELBINGERVS, aliique eius socii, ea in re ipsum errasse palam adfirmant. Ita scilicet Sociniani vitia tollunt, & homines a peccando absterrent, dum supplicia, impœnitentibus post hanc vitam proposita, e medio tollunt. Nostra e contrario doctrina de diuinitate Iesu Christi egregie promoueri veræ pietatis studium, luculenter commonstraui in præf. *von dem Einfluß der Lehre von der ewigen Gottheit Jesu Christi in die Beförderung der Gottseligkeit*, quæ præmissa est B. LVTHERI Betrachtung der *heilsamen Gnade*. Add. ARNOLDI præf. ad PETRI ALIX *Ausspruch der Jüd. Kirche wider die Vnitarios.*

5. *Si qua igitur isti pietatis eneruatores, impietatisque patroni, se tamen pietatis specie commendent: tamdiu certum est, inanem illam esse μόρφωσιν, quamdiu certum est, quod non bene viuatur, vbi male de Deo creditur.* Ex hypocritica vero isthac pietate, qui religionis Socinianæ præstantiam comprobare vellet, næ is vehementer erraret. Nam 1) veteres quo-

quoque hæretici & Socinianorum anteſignani, HIERONYMO teſte, caſtitate, continentia, ieiunio, quaſi quadam pietatis veſte, ſe circumdederunt, dum interim doctrinæ ſuæ veneno ſimpliciorum corda infecerunt. Hinc de præcipuis quinque priorum ſeculorum hæreſiarchis IO. IOACH. ZENTGRAVIVS, theologus Argentoratenſis, in diſſ. *de Satana in angelum lucis transformato. §. XX.* comprobauit, quod, ſumto fucatæ probitatis habitu, angelos lucis ſimularint. Vnde Chriſtus etiam falſis prophetis veſtitum ouium Matth. VII, 15. tribuit. 2) Ipſi aduerſarii fatentur, vitam honeſtam & labe carentem non eſſe certum veræ doctrinæ atque eccleſiæ criterium. VAL. SMALZIVS *contra Franzium p. 278.* Nemo, *inquit*, infallibiliter ſcit, quisnam vere pie viuere ſatagat, quum virtus facile ſimulari poſſit. Hinc falſum eſt, ſolidum iudicium ex vitæ probitate dari poſſe, quænam gentes ſint vera eccleſia.„ Maiori igitur iure de Socinianis dixeris, quam de euangelicorum doctoribus ſcribit WOLZOGENIVS, in præf. germ. ad CRELLII librum *von dem einigen GOtt dem Vater*: Du wolleſt auch nicht gedencken, es ſind gottesfürchtige verſtændige Leute und Liebhaber der Wahrheit, welche unſre Lehre verwerfen. Denn neben dem, daſs oftmal der Wandel derſelben, die du für gottesfürchtig hæltſt, ein anders bezeuget, ſo ſolſt du wiſſen, daſs nicht alles Gold iſt, was da glæntzet. &c. Addimus ven. RVSMEIERI verba, in der *Lehre von der hochheil. Dreyeinigkeit p. 284.* Die Socinianer müſſen um der Verfolgung willen ſich eines ehrbaren Lebens befleiſſigen, welches von gutgeſinnten Seelen als eine Frucht des Glaubens und der Erneurung des Geiſtes angeſehen wird. Allein ob ſchon es weder mir noch einem andern zuſtehet, die Gewiſſen zu beurtheilen, ſo iſt doch dieſes gewiſs, daſs man von einem ehrbaren Leben nicht alſobald ſchlieſſen

könne,

könne, daſs es eine Wirckung des Geiſtes Gottes ſey. Denn der Eigen-Wille kan, wenn er ſeinen Nutzen ſiehet, ſich von auſſen Engel rein halten, wie wir an den Phariſæern, Heuchlern und Atheiſten ſelbſt ſehen.

6. *Idem de ſingulis ipſorum virtutibus dicendum eſt, quæ quia ſuccum vitamque non ex Chriſto eiusque ſpiritu trahunt, nil præter vmbram virtutis habent.* Ex. gr. MODESTIA, qua nonnulli in proponendis ſuis doctrinis vtuntur, cum Chriſti & apoſtolorum ταπεινοφρωσύνη nihil, præter nomen, commune habet, quum non impediat, quo minus faſtu philoſophico turgeant. Eorum MODERATIO *erga diſſentientes* non eſt niſi brachii ſecularis defectus, vti etiam obſeruauit B. SCHLICHTIVS (is enim auctor illius obſeruationis dicitur) im *Hebopfer part. XXIII. p. 176.* vbi additur: Was der ein Socinianer gewordene NEVSER in Teutſchland für ein Spiel anrichten, und dazu den Türckiſchen Kayſer gebrauchen wollen, um, wie er ſchreibet, die abgöttiſchen Chriſten zur Erkenntniſs des einigen Gottes zu bringen, kan in ſeinem Briefe an Solymann II. nachgeſehen werden, wie ſolchen Ms. LA CROZE anführet in *diſſ. hiſtoriques p. 165.* CHARITAS, qua Socinus aduerſus aduerſarios ſuarum opinionum nonnumquam vtebatur, erat laqueus optimorum ingeniorum. Molliter enim lenique ac tacito paſſu ſerpens ille lubricus ſeſe inſinuabat, ſuaque dogmata, letali veneno imbuta, latenter infundebat in mentem lectorum. Dum nimirum contradicentes patientiſſime ferre ſolebat, & placidiſſime tractare; id tandem efficiebat, vt ſpecioſa modeſtiæ oſtentatione, cum ementito veritatis tuendæ ſtudio coniuncta, eos in ſuas partes pertraheret. Idem de MANSVETVDINE eius iniuriarumque tolerantia dicendum, quæ quidem multos veritatis defenſores, ira conuitiisque æſtuantes, in rubo-

rem coniicit. Ceterum & ipse nonnumquam verborum aculeos in aduersarios suos vibrat, & alii eius discipuli tantum manſuetudinis defectum prodiderunt, vt auctor scrupulorum ex eis quæreret: *Vbi est humilitas spiritus, vbi studium multa condonandi aduersariis, quod apostoli fecere?* Ad quam querelam mira est, & pæne dixerim, ebria responsio SOCINI *oper. tom. I. p. 331. Non spiritus elatio, sed diuinæ gloriæ zelus facit, vt nostri homines pauca aduersariis condonent. Neque enim hæc eius generis sunt, cuius ea erant, quæ condonabant apostoli, qui tamen reuera pauciſſima condonabant.* Enim vero in SOCINI manſuetudinem ceterasque fictitias virtutes, sanguinei temperamenti propagines, egregie quadrant illa ANDREAE DVDITHII verba, *oper. Soc. tom. I. p. 525.* Latet his sub illecebris venenum, beneuolentiam conciliat, & assensionem nostram aucupatur. Facilius enim adducimur, vt credamus iis, qui modestiam ac sanctitatem simulant. Neque persuasum habemus, fucum nobis fieri, & in errorem nos præcipitari posse ab illis, qui tam boni, tam modesti, tam moderati sunt.„

7. *Ceterum spuriis illis Socinianorum virtutibus vera subesse vitia, adfectatam illam sanctitatis laudem vehementer obscurantia, dudum alii obseruarunt.* Quæ vitia ZWICKERVS, qui præcipuum Socini errorem ipse propugnat, eius sectatoribus exprobret, supra p. 59. recensuimus. Nec minor vitiorum catalogus ex *scrupulis*, quos vir excellens Socino proposuit, contexi potest. Vid. supra p. 60. 61. Summatim & fictas Socinianorum virtutes, & vera ipsorum vitia GE. ASHWELL *de Socinianismo* p. 242. enarrat. Vtcumque igitur, *inquit*, SOCINVS eiusque socii ac discipuli, summam humilitatem ac modestiam simulent, cum sincero veritatis amore, piæque vitæ studio; vtcumque zelum gloriæ diui-

næ

næ illustrandæ, fidei vere christianæ vbique propagandæ, & salutis animarum promouendæ præ se ferant; vtcumque vitæ sanctitatem præ omnibus magnifacere videantur, dicantque, se facile posse dissensum in opinionibus ferre, si modo christianæ vitæ innocentiæ & morum sanctitati studeatur; vtcumque demum amicorum iudicium, eruditionem & auctoritatem se plurimi facere, Socinus prætendat, & ante omnia diuini Numinis auxilium tum pro se, tum pro amicis imploret, quod vtrosque dirigat & adiuuet in via veritatis: hæc omnia tamen tantum simulantur, quum facta dictis minime respondeant. Contra, (*ita ille p. 223.*) plura occurrunt, quæ merito nos absterrere possunt, ab eorum dogmatibus amplectendis; *philautia* & arrogantia defensorum, cum summo *aliorum contemtu* coniuncta, qui se illorum conatibus opponunt; *derisio* fidei antiquæ, *blasphemiis* stipata; veterum despectus & *ludibria*, non sine *calumniis* ac mendaciis; ecclesiæ catholicæ auctoritas fœde conculcata & contumeliis onerata; *contradictiones* & effugia miserrima, quum arctius premuntur ab aduersariis; zelus *hypocrisin* sapiens, pro veritate euangelii vitæque christianæ sanctitate, quum interim hæc omnia pro viribus corrumpant atque destruant; obstinatio animi & *contumacia* summa in erroribus propugnandis; fictæ denique excusationes & *tergiuersationes* haud ingenuæ, in dogmatibus suis proponendis, quum ad rationem de iis reddendam legitime poscuntur. Quæ Socinianorum vitia ASHWELLVS *p. 224-245.* latius persequitur, & exemplis confirmat.

De *fastu* tantum, & intolerabili Socinianorum *arrogantia*, quæ ex omnibus Socini sodaliumque scriptis & actionibus elucet, quædam addere testimonia lubet. GOD. ARNOLDVS, in *præf.* ad PETRI ALLIX *Ausspruch der alten Jüdischen*

schen Kirche wider die Vnitarios, §. 30. ita de Socinianis iudicat: Sie folgen nur ihrer spitzigen eigenwitzigen und doch aufs tiefste verdorbenen Vernunft, bleiben in ihren subtilen und Wortspielenden Critiquen stehen, und nähren sich in ihrem selbstklugen *Hochmuth* und Fürwitz, *darin sie sich für klüger, als alle Menschen halten*; da sie doch bey allem ihrem Ruhm und Vorwand der Klugheit die gröste Unvernunft und Unverstand darin beweisen, dass sie die unzehligen Zeugnisse und Bekræftigungen dieser ewigen Wahrheit nicht einmal unpartheyisch und reiflich erwegen, sondern mit allem Ungestüm, ohne Bedacht, dawider, obschon vergeblich, fechten.„ Ven. RVSSMEIERVS in Tr. *Lehre von der hochheiligen Dreyeinigkeit p. 283.* Ihrer grossen und erbærmlichen Unwissenheit stellet sich der *Hochmuth* alsobald an die Seite, welcher sich nicht scheuet, über göttliche Geheimnisse das Urtheil zu fællen, und selbst die aller Creatur unergründlichen Tiefen der Gottheit abzumessen: da es denn nicht anders seyn kan, als dass er zugleich allein den eigenen Verstand erhebet, und alle andre, die doch gleichen Verstand haben, verachtet.„ Ven. ZELTNERVS in *hist. Crypto-Socin. p. 949.* Soli ergo vident Sociniani, ceteri omnes in meridie cœcutiunt, nisi prorsus lumine etiam capti videantur. Vah quantum supercilium!„ Hinc etiam in decipulas illorum potissimum incidunt homines scioli & δοκησίσοφοι, qui sui iudicii acumine freti, intelligendo, prout ipsi sibi videntur, facile faciunt, vt nihil intelligant; vti recte obseruat MATTHAEVS WREEN, in *increpatione Bar Iesu* (quo nomine catechistam Racouiensem designat,) in carcere scripta, & edita Londini, 1660. pag. 210. qui se ideo *Bar-Iesuitas* vocare Socinianos p. 27. 203. ait, quia, vt Paulus parentem eorum depinxit Act. XIII, 6. sint *pleni omni dolo omnique astutiæ*, & in *distorquendis* Domini viis exercitatissimi. §. XII.

§. XII.

Vexationes, quas nouæ ſuæ religionis cauſſa ſuſtinuerunt, nullo iure inter calamitates Chriſti locum ſibi vindicare poſſunt. Multi dantur propriarum hypotheſium martyres, quorum catalogo, qui mori, quam Trinitatem agnoſcere, maluerunt, iure adſcribuntur.

OBSERVATIONES.

1. *Multas ærumnas calamitatesque expertos olim eſſe Socinianos, negari non poteſt.* Primos eius religionis ſiue auctores, ſiue fautores, ſi LAELIVM SOCINVM excipias, in medio ætatis curſu, anno vitæ XXXVII. Tiguri extinctum, plerosque omnes ignobili mortis genere periiſſe conſtat. Fauſtus equidem SOCINVS poſtquam per integrum fere penultimum vitæ annum diarrhœa, colica, calculo, capitis doloribus, ciborumque nauſea laborarat, in lecto obiit. Interim de ſuis vexationibus, conſcientiæ cauſſa toleratis, in *epiſt. ad* MART. VADOVITAM, multa ipſe narrat, *oper. tom. I. p. 476.* Quamuis, *inquit*, non omnes ſciant, domi in patria mea quis eſſem, nec quæ commoda & honores merito & ibi & alibi a me ſperari potuiſſent, ſi cum aliis in religione conſentire voluiſſem; nec etiam nouerint, me religionis cauſſa non ſolum mea ipſius ſponte dulciſſimæ ac iucundiſſimæ patriæ in perpetuum valedixiſſe, ſed etiam bonorum omnium, quæ profecto haud exigua ibi habebam, iacturam feciſſe: quis eſt tam bardus aut ſtupidus, quin videat, quot periculis, propter ipſam tantum religionis cauſſam, præſertim ſi ſententias de illa meas aliis perſuadere velim, ſim perpetuo obnoxius? Longum eſſet, hic enarrare, quot & quantas hactenus, poſt relictam patriam, perſecutiones religionis cauſſa

sim passus, cum alibi, tum præcipue in hoc regno. Vnus hic postremus casus meus, vbi cariſſimum meum aliquot scriptorum & librorum thesaurum perdidi, ignominiam publice summam sum passus, de ipsa denique vita manifeste sum periclitatus, satis vnumquemque docere potest, &c.„ Postremum hunc casum *Eques Polonus* in *vita SOCINI* his verbis exponit: Iam dudum Socinum Cracouiæ commorantem circumstare vndique pericula cœperant, quæ plerumque fideles Christi seruos comitari amant. Quanta ibi contumelia affectus fuerit ab insolente milite Verneco, ipse in quadam epistola exponit. Sed præcipue post librum *de Seruatore* typis euulgatum inimicorum odia recruduerunt. Itaque anno 1598. commota per scholasticos infimæ plebis fæce, æger tunc extrahitur e cubiculo seminudus, & per forum ac celeberrimas plateas, deposcentibus ad supplicium plerisque, contumelioſe raptatur. Tandem in illa furentium colluuie peſſime mulctatus, a VADOVITA, professore Cracouiensi, ægre furenti multitudini eripitur.„ Conf. etiam LAVTERBACHII *Sociniſmum Pol. p. 212.* Facile hic euenire Socino potuisset, quod aliquando optarat, *vt* scilicet, *ſi Deo ita videretur, pro diuina ipſius veritate* (o miserandam hominis cœcitatem!) *mortem oppeteret*, in *ep. ad* DVDITHIVM, *tom. I. p. 508.* vbi simul Dudithium, qui alia se mente esse significaverat, reprehendit.

2. *Arrogantiæ effectus est, quando Sociniani has ſuas calamitates, tamquam ob filium* HOMINIS *toleratas, & bonæ cauſſæ tropæa, gloriando extollunt, inſolentiusque iactitant.* Egregie de illis vexationum ostentatoribus ven. RVSSMEIERVS, in der *Lehre von der hochheiligen Dreyeinigkeit, p. 283.* Es wird der Hochmuth dieſer Leute gewaltig geſtærcket durch das *Præiudicium crucis*, indem ſie bisher immerdar verfolget, und

und nirgends recht gelitten ſind: daher ſie alle Sprüche der Schrift, die von dem Creutz der Nachfolger JEſu reden, auf ſich appliciret haben. Es iſt nicht auszuſprechen, was die Einbildung vom Creutz in einem ungebrochenen Hertzen für Blehungen machen kan. - Dazu noch dieſes kommt, daſs die Socinianer um der Verfolgung willen, ſich müſſen eines ehrbaren Lebens befleiſſigen, darauf ſie ſich aufs neue etwas einbilden.

3. *Sed tantum abeſt, vt ipſorum perſecutiones ad τὰ παθήματα τῦ χριϛῦ, adque cruces chriſtianorum referendæ ſint, vt potius diuinæ iræ veſtigia aduerſus ſuperbos iſtos crucis Chriſti hoſtes in iis a prudentibus deprehendantur.* Recte rurſus ven. RVSSMEIERVS *loc. cit. p. 284.* Von dem Creutz wiſſen wir, daſs man einen Unterſchied muſs machen unter dem Creutz der Chriſten, und unter den zornigen Gerichten über die Bosheit. Und obſchon die Chriſten keine Profeſſion machen von Verfolgung, ſondern mit dem Schwerdt des Geiſtes ihre Sache auszuführen haben: ſo hat doch GOtt, deſſen die Rache iſt, und der ſeines Sohnes Ehre rettet und richtet, Ioh. VIII, 50. immerdar ſein Schwerdt gewetzet, und ſeinen Bogen geſpannet wider die Stoltzen. Man ſagt wol, daſs man verfolget wird, aber man ſagt nicht, daſs man GOtt reitzet. - Daher GOtt allerley Trübſal und Strafe über ſie verhænget, um dadurch zu verwehren, daſs nicht dem völligen Atheiſmo durch ſie Thür und Thor eröffnet werde. - Sie müſſen erſt beweiſen, daſs ihre Lehre, um welcher willen ſie verfolget werden, Chriſti Lehre ſey, ehe ſie vorgeben können, daſs ihr Creutz Chriſti Creutz ſey.„ Certe, nihil abſurdius cogitari poteſt, quam hoſtes crucis Ieſu Chriſti, qui dies noctesque nihil aliud meditantur, quam vt æternæ diuinitatis diadema rapaci manu ipſi detrahant, de communione

nione cum cruce Christi gloriari velle. Scriptum de Deo exstat: Θεὸς ἀντιτάσσεται τοῖς ὑπερηφάνοις 1 Pet. V, 5. Id certe arrogantissima illa Socinianorum turba satis experta est. Horrenda sunt Dei iudicia, quæ desæuierunt in familias illorum hominum, e Poloniæ regno exactas, teste ipsorummet *epistola* apud LVBIENIECIVM *p. 279. seqq.* Pars agmine facto, (verba ipsorum recitamus) supra *trecentos & octoginta*, exilii sede Claudiopoli delecta, in Transsiluaniam iter intendunt; sed auspiciis profecto infaustis. Hos enim infelices, qui, velut naufragio seruata, omnia sua secum portabant, ad fines Hungariæ, vbi in oppido quodam hospitabantur, miles impius inopinanter inuadit, deprædatur, despoliat, exuit penitus. Claudiopolitani quidem fratres, etsi expilati iam ipsi & crebris exactionibus Transsiluanorum, Scytharum, Turcarum, omni prope auro & argento euiscerati, ne ecclesiæ quidem peculio intacto, succurrunt tamen magnifice, nudos vestitu, egentes commeatu, inopes viatico instruunt, humaniter in vrbem suam eos deducunt. - At grauis illic aer, & transmontanis præcipue infestus, tum temporis vero pestifere infectus, subito corripit internecina *lue* nouos hospites, quæ eos non decimauit, sed ne decimas quidem reliquas fecit, ex omni numero vix seruatis vltra *tricenos*.„ Similiter *p. 282.* Ceteri obstinato ad pericula animo inopes ac seminudi tamen in Transsiluaniam penetrarunt, vbi tot laborum, ærumnarum ac discriminum merces excepit eos *pestis* ac *pauperies*.„ Et de reliquis dispersis *p. 301.* Conspirant inimice omnia, quæ adfligere hominem, vel robustissimum animum deiicere, & reddere nobis possunt tristem, difficilem, molestam, quin & deploratam exilii sortem „ Ita misero illi exulum manipulo propemodum euenerunt, quæ Deus superbis olim Babyloniis minitatus fuit: *In*

eos

eos consurgam, inquit Iehoua, & reliquias eorum exscindam, exscidialibusque scopis conuerram. Esa.XIV,23.24. Vel hinc adparet, vanam esse PRZIPCOVII loquacitatem, quum almam pacem & benedictionem Dei cum exulibus illis Polonis migrasse ait, *oper. p.453.*

4. *Quin ipsi etiam multis modis multa sibi mala attraxerunt, quæ nulla iuris specie Christi calamitatibus accenseri possunt.* Plurima ipsis odia, plurimasque vexationes conciliauit 1) *Intolerabilis ille fastus*, quo sese, cum aliorum omnium contemtu, magnifice iactare solebant. 2) *Petulantia discipulorum* suorum, quibus in schola Racouiensi, cum literis humanioribus, impias suas doctrinas instillabant. Quum enim anno 1636. studiosi quidam ligneam crucifixi imaginem, extra oppidum sitam, lapidibus fregissent, doctores Sociniani, tamquam perpetrati facinoris auctores habiti fuere, decretumque tandem in regni comitiis Varsouiensibus fuit, scholam Racouianam esse diruendam, ecclesiam Arianis adimendam atque occludendam, typographiam tollendam, ecclesiæ pastores, scholæque professores, infamia notatos, proscribendos. Quæ cuncta executioni impigre mandata; teste *Anonymo* in *epist. de vita ac morte* ANDR. WISSOWATII, in SANDII *bibliotb. p.233.234.* Simile proteruitatis exemplum LVBIENIECIVS commemorat *p.172. seqq.* 3) *Consensio cum Suecis*, rei publicæ Polonicæ hostibus. Quum enim CAROLVS GVSTAVVS, Suecorum rex, torrentis instar Poloniam inundaret; Sociniani anno 1656. eius se tutelæ committebant, liberumque religionis exercitium Cracouiæ impetrabant, quæ res deinde, in inuidiam versa, effecit, vt tanquam perduelles & patriæ hostes, an. 1658. IOANNE CASIMIRO regnante, ex omnibus Poloniæ prouinciis excedere iuberentur. 4) *Blasphemiæ* in venerandum Trinitatis mysterium, magna cum animositate e-

ructatæ, quibus animos pontificiorum haud mediocriter exacerbarunt. Refert B. SPENERVS ex IO. LAETI compendio hist. vniuersal. in tr. *von der ewigen Gottheit Jesu Christi p. 649.* eo tempore, quo typographia ipsorum Racouiana disturbata fuit, librum sub prælo fuisse, impio titulo insignitum: *Tormentum, throno trinitatem deturbans.*

5. Ii, qui vitam potius, quam errores suos deponere maluerunt, locum inter veros Christi martyres nullum inueniunt. Habent falsæ etiam religionis, habet & atheismus ipse, suos martyres, qui, philautiæ & pertinaciæ stimulis agitati, maluerunt extrema quæque pati, quam nuntium mittere opinionibus semel receptis, vel eas retractando, erroris sui confessionem edere. Ipsi exules in epist. apud LVBIENIECIVM p. 300. *Martyrem scimus caussam facere, non pœnam.* Sed falso addunt: *At bona omnino nostra caussa est, conscientia bona - Pro ea qui vltro ac volentes patiuntur, pro Deo patiuntur &c. Ariani* etiam veteres male nonnumquam ab orthodoxis vexati suppliciisque adfecti sunt, nec tamen idcirco SOCINI asseclæ concedunt, eos recte de Christo sensisse. Interim certa dantur criteria, quibus genuini martyres a diaboli sacrificiis facile dignosci possunt, quæ explicat IAC. BERNARD, de *martyrio cap. III.* Tria inprimis erant, quæ primos Christi martyres commendabant, quæque in Socinianis valde desiderantur.

1) *Sinceritas in edendis confessionibus suis*, quas nullis æquiuocationibus inuoluebant. At e contrario primi Anti-Trinitariæ opinionis confessores mentem suam, in statum confessionis adducti, ita dissimularunt, *vt maiores an hæretici, an tergiuersatores fuerint, dubium videatur*, dicente HOORNBECKIO, in *summa controv. p. 565.* quod ille exemplis PETRI STATORII & GE. BLANDRATAE confirmat, qui orthodoxam prorsus de trinitate fidem ore testati sunt, quum in *Synodo Pin.*

Pinczouienſi confeſſionem edere iuberentur; & tamen primi atque acerrimi Anti-Trinitariorum patroni ac propugnatores extiterunt. Nimirum, vt obſeruat GE. ASHWELL, de *Socin. p. 241.* diſſimulare ſoliti ſunt huius ſectæ anteſignani, quum primum exorti ſunt, & numero pauciores eſſent, quaſi ſui dogmatis ipſos puderet, aut ſaltem ex impendentis periculi metu illud palam adſerere non auderent. Ita mendaces deprehenſi ſunt non minus in ſe, quam in Deum & veritatem; nec magis infames ſunt ob hæreſin, quam ob hypocriſin.„

2) *Conſtantia in extremis ſupplicijs*, cum *gaudio* plerumque & gratiarum erga Deum actionibus coniuncta. At hæc etiam Socinianos plerumque valde deſtituit. In ipſis Sociniſmi incunabulis prima Anti-Trinitariorum turba inquiſitionis metu diſperſa fuit. *Erat*, inquit LVBIENIECIVS *p. 39.* ex hac pia ſocietate Abbas quidam, BVCALI dictus, qui arcanis ſuis collegiis & ſtudiis euulgatis, in præſentiſſimo cum verſaretur diſcrime ſalutis, vna cum aliis XL. viris *fuga ſe eripuit*, & apud Turcas quæſiuit & inuenit ſalutem. De IAC. PALAEOLOGO, Franc. Dauidis aſſecla & defenſore, idem LVBIENIECIVS, in *hiſt. ref. Pol. p. 200.* narrat, quod cum Romæ ob diſſenſum a receptis dogmatibus in carcerem coniectus fuerit, *effracto carcere* (quis autem verorū martyrū id fecit?) euaſerit. Poſt multos annos denuo poſtulante Gregorio XIII ab imperatore Maximiliano captus & Romam miſſus fuit; vbi tetro carceri mancipatus, ſententiæ ſuæ tenax, ad rogum damnatus eſt. Quem vt vidit, horrore acerbiſſimæ mortis perculſus, *palinodiam ſe velle canere profeſſus*, a rogo retrahitur. Tandem quum priſtinæ ſententiæ retinens videretur, denuo ad flammas damnatus, miſeranda morte periit. MATTHAEVS GRIBALDVS, Iureconſultus Patauinus, Arianiſmi veneno a GENTILE, quem aliquamdiu hoſpitem habuit, infectus, quum carceri a Ber-

nensibus traderetur, *per simulatam Arianismi eiurationem*, cui tamen minime postea nuntium misit, viam sibi ad libertatem parauit. De ADAMO NEVSERO, qui se non potuisse concoquere *horrendum illud dogma de Trinitate* scripsit, constat, quod *e carcere elapsus*, in Poloniam primum, deinde in Transsiluaniam abierit, tandemque Constantinopolin delatus, abiecto palam christianismo, ad Turcas defecerit, eorum more circumcisus. Quum e Polonia Sociniani regiis edictis exigerentur, teste *Anonymo* in ep. de vita WISSOWATII, in SANDII *bibl. p. 249.* multi erant, qui terrenam cœlesti præferentes patriæ, & exilii miserias formidantes, *religionem mutarunt*, atque velut palea, vento flante, a ceteris auulsi sunt, quibusdam in ipsius pontificis Romani castra transfugientibus. Easdem apostasias PRZIPCOVIVS memorat apud LVBIENIECIVM *p. 282.* Ecquid igitur, *inquiens*, miremur, tot malorum ac periculorum horrore *plurimos* in ecclesiis nostris a veritatis amore ac fide reuulsos &c. Longe hæc omnia ab admiranda primorum christianorum perseuerantia, & ad subeundas Christi causa calamitates promtitudine, remota sunt. Equidem MICHAELIS SERVETI tantam in flammis fuisse constantiam MINVS CELSVS *Senensis, de hæreticis, an sint persequendi* f. 109. narrat, vt plures ex adstantibus sanæ doctrinæ viri, non posse id fine Dei spiritu fieri persuasum habentes, eius hæresin pro veritate amplexi sint. Sed non ita se gessisse SERVETVM, quum moreretur, vt martyris nomine dignus sit, copiosius narrat IO. CALVINVS, in *breui refut. errorum Serueti.* Nunc enim attonito similem hæsisse, nunc alta suspiria edidisse, nunc instar lymphatici eiulasse scribit. Ceterum vera animi constantia a temeraria præsumtione multum distat, quam se in nonnullis nouis Arianis obseruasse CONRADVS RITTERSHVSIVS, in *comm. ad Saluianum lib. V. p. 153.* his verbis perhibet: Arianorum dogma hodie plurimis in Polonia &

Trans-

Transsiluania placet. Neque nobis nulli ex illis in Germania visi & cum horrore auditi, qui tam sibi certi viderentur suæ persuasionis, vt parati essent, pro sententia sua, quamuis pestifera, comburi, & omnibus cruciatibus lancinari.„

3) *Studium Christi glorificandi*, quem inter diriſſimos cruciatus tamquam Deum ſummum atque omnipotentem invocabant; quas martyrum de Chriſto diuinitate confeſſiones PETRVS POIRET collegit, & RVINARTI *actis martyrum* adiecit. Equidem erraſſe ea in re bonos illos martyres, eaque de Deo & Chriſto credidiſſe, quæ a ſuis hominibus falſa eſſe oſtendantur, SOCINVS *oper. tom. I. p. 330.* impudentiſſime iudicat. Sed ipſe errat, & ſanctas illas Chriſti victimas haud leui iniuria adficit. Anti-Trinitarii contra ideo ſuppliciis adfecti ſunt, quia Chriſtum eſſe altiſſimum atque omnipotentem Deum negarunt, eiusque gloriæ nefariis artibus imminuendæ ſtuduerunt. Hinc SERVETVS rogo adiudicatus, in eo ſe reliquis martyribus ſuperiorem eſſe dixit, *quod illi pro* CHRISTI *gloria paſſi ſint, quum ipſe pro gloria* VNIVS DEI *moriatur.*

6. *Potius in mortibus primorum præcipuorumque Anti-Trinitariorum varia diuinæ iuſtitiæ veſtigia deprehenduntur.* Factum id quidem eſt præter veteris eccleſiæ morem, quod nonnulli ob ſparſas hæreticas ac blaſphemas ſuas opiniones vita priuati ſunt; vnde eccleſia noſtra capitales illas ſententias in SERVETVM, GENTILEM aliosque, a Caluini diſcipulis latas, non adprobauit. Interim, quum non putandum ſit, Chriſtum otioſum fuiſſe eiusmodi certaminum ſpectatorem, agnoſcenda eſt vltrix eius manus, exempla in hoſtes ſuos ſtatuens. Vix enim in maximis cœtibus tot primarii doctores adeo tragico ac ſingulari obitus genere extincti leguntur, atque in exigua illa Socinianorum familia. LVDOV. HETZERVS, qui Germanorum primus Chriſti diuinitatem ſcripto impugnauit, Conſtantiæ 1529. gladio, non flammis (vt habet SECKEN-

CKENDORFIVS in hist. Luth.) periit. MICHAEL SERVETVS 1553. Geneuæ combustus est. FRANC. LISMANINVS, qui primus Socinianismum in Poloniam inuexit, 1563. Regiomonti in phrenesin lapsus ac puteo submersus est. IO. VAL. GENTILIS 1566. Bernæ ob Ariana dogmata & periurium capite plexus est. IAC. PALAEOLOGVS, nocentissimus diuinitatis Christi hostis, Romæ 1558. in rogo vitam finiuit. MATTHAEVS GRIBALDVS peste correptus, paratum sibi supplicium præuenit, anno 1566. GE. BLANDRATA, Geneuæ ob errorum Seruetianorum contagium suspectus, sed fuga elapsus, post errores suos in Polonia & Transsiluania sparsos, in lecto tandem suffocatus est a fratris filio, quem hæredem fecerat; quod Socinus ipse iusto Dei iudicio homini auaro contigisse iudicat. FRANC. DAVIDIS in carcere obiit. ADAMI NEVSERI anima inter Turcas, ad quos defecerat, horrendo cum clamore ac mugitu fugit indignata sub vmbras. IO. SYLVANVS, infamis ob librum blasphemum *wider den drey-persönlichen Abgott und zwey-naturten Götzen des Widerchrists* 1572. Heidelbergæ, ex sententia electoris Friderici III. decollatus est. STANISLAVS LVBIENIECIVS, Hamburgi 1675. hausto per errorem veneno interiit. Vt alios plures taceamus. Sic, qui virus Socinismi in Italia, Germania, Gallia, Polonia, Transsiluania primum sparsere, fere omnes morte violenta ac horrenda abrepti sunt, martyrum interim dotibus prorsus destituti. In veteri ecclesia sanguis martyrum semen erat, ex quo noui christiani nascebantur. At Socinianorum sanguis adeo non fuit semen ecclesiæ Socinianæ, vt potius vno per magistratum sublato, ceteri vel fuga sibi consulerent, vel varias formas speciesque adsumerent. Quæ res, si non ipsa Socinianorum dogmata, saltem eorum auctores valde reddit suspectos. Conf. cel. ERN. SAL. CYPRIANI diss. *de mortibus Socinianorum*, & HENR. KLAVSINGII diss. *de hæreticis miseræ morte extinctis*.

§. XIII.

§. XIII.

Sufficient hæc, vt arbitramur, tum ad pellem ouinam, qua Sociniani decus sibi & existimationem conciliant, cognoscendam, tum ad turpem, quæ sub hac larva latet, Socinismi indolem propius introspiciendam. Age vero, vtilia quædam consectaria ex hac tractatione, antequam ei finem imponimus, eliciamus.

1. Quum tanta se specie Sociana hæresis commendet, recordemur moniti apostolici: *Ne cuiuis spiritui credite, sed spiritus explorate, an sint ex Deo?* 1 Ioan. IV, 1. Et rursus: *Vos vero, carissimi, recordamini ea, quæ a Domini nostri Iesu Christi apostolis prædicta sunt, qui vobis dixerunt, futuros postremo tempore illusores, ex suis cupiditatibus viuentes. Hi sunt, qui se ipsos secernunt, animales, spiritum non habentes. Vos vero in sanctissima vestra fide vos ipsos exædificantes, in Dei caritate vos conseruate.* Ep. Iudæ v. 17-21. Et rursus: *Vos igitur carissimi, cauete, ne in nefariorum errorem abducti, excidatis ex vestra firmitate.* 2 Petr. III, 17. Hic certe, qui facile credit, facile decipitur. Terreant nos vestigia tot insignium doctissimorumque ingeniorum, quæ, quum nimium crederent colori, in laqueos pestilentissimorum errorum, cum æternæ salutis periculo, inciderunt. Eos vero si euitare velimus, necesse est, vt non solum aliis, bona specie indutis, sed vt nobis etiam ipsis nostrisque viribus ne nimium fidamus. Pater luminum supplex rogandus est, vt mentis nostræ oculos sua luce collustret, vt vera sapientia, quæ malum inter & bonum, naturam inter & gratiam, μόρφωσιν inter & ἀλήθειαν discernit, animum imbuat, vt coniunctam cum columbarum sinceritate serpentum astutiam concedat, vt denique rationem, reuelationis habenas detrectantem, subigat sub obsequium fidei, quo μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον reuerenter colens, in verbi simplicitate acquiescat.

2. Quum sub pulchra Socinismi larua adeo aridum & deforme delitescat religionis cadauer, rationis humanæ idolum, omnium hæresium errorumque receptaculum, scripturæ carnificina, & fœderis gratiæ sepulcrum, obedientiæ propriæ calce dealbatum: par est, vt illud Satanæ commentum tanto vehementius abominemur, & quavis peste deterius fugiamus.

3. Quum

3. Quum fastus humanæ rationis, quæ bona naturæ exaggerat, morbum extenuat, eiusque medicum, DEI filium, spernit, merito pro parente Sociniſmi habeatur: tum demum noſtræ aduersus eius insidias securitati rectissime consulemus, si, depresso naturæ supercilio, subinde & tenuius de nobis, & sublimius de Christo sentire discamus. Quisquis enim de profundissima ac horrenda suæ naturæ corruptione deque extrema propriarum virium in rebus vere spiritualibus ἀδυναμία, ex viuo vtriusque sensu conuictus est, is numquam incidet in Pelagianismum, quem Sociniſmi animam qui dixit, vere dixit. Quisquis vero, a Spiritu sancto collustratus, vnigenitum DEI filium salutariter agnoscit, eiusque & infinitam gloriam fide intuetur, & meritorum necessitatem ex sui reatus magnitudine recte æstimat; is numquam a se impetrabit, vt assentiatur illis, qui ex Christo θεανθρώπῳ faciunt ψιλάνθρωπον, omni merito spoliatum, Mose non multo sublimiorem, quin, quod ad legum lationem spectat, multo inferiorem.

DEVS vero ab ecclesia euangelica auertat illam pestem, in tenebris tacito gressu serpentem, vtque hac qualicunque opera ex iis, qui eius contagio infecti sunt, nonnulli sanentur, alii aduersus eius attactum muniantur, beniguissime largiatur.

COROLLARIA.

Ex theologia dogmatica.

Mysterium Trinitatis cum fœdere gratiæ tam indissolubili vinculo colligatum est, vt, qui illud negat, hoc etiam, cum irreparabili suæ salutis damno, negare cogatur.

Mysteria religionis a ratione non quidem comprehendi, at tamen defendi & a contradictionis vitio absolui possunt.

Ex theologia morali.

Omnium & errorum & vitiorum semina in peruersa hominis philautia conclusa latent.

Ex theologia polemica.

Elenchum aduersus aliorum errores non recte & ingenue geret, qui, neglecto elencho domestico, gladium spiritus aduersus suam philautiam non strenue ac sincere stringit.

Ex theologia homiletica.

Genuina de rebus spiritualibus eloquentia est Spiritus sancti donum, precibus impetrandum.

Ex historia ecclesiastica.

Proteuangelion est totius historiæ ecclesiasticæ clauis.

Mosis est certus atque indubius pentateuchi auctor.

(o)

1. Grat. pro respons.
2. — pro amicitia.
3. — Doleo, quod te praesente non amplius frui possim,
4. — Sed parco querelis privatis, conspecto publico dolore, stupore, et communi fere omnium luctu.
5. Unicum solatium est, quod cum academiae subtraharis, ecclesiae tu. haud adimaris.
6. Recordamur ante dimidium saeculi ex illa ora, ad quam abis, Saxonicis ~~nostris~~ et Brandenburgicis regionibus nostris missum. ~~et~~
non ~~ut~~ inique igitur feramus, deum iam illud beneficium compensare, et ex oris nostris in regiones istas Germaniae ovid. ... alterum remittere Spenerum.
7. Submisse dominum modo rogemus, ut ibi ~~alterum~~ saltem rursus saeculi dimidium bene merendo exigas, atque ita beneficia, quae nos a Spenero per dimidium saeculi accepimus, plene compenses.
8. Ego te precibus sequar, ~~at~~ sed te retinebo in mente memoria, atque pectore ~~te retinebo~~, donec in coelis, quod dominus faxit supremus, rursus coniungamur. In domino vale, vige, flore.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862401526/phys_0172
DFG

onfessionem edere iuberentur; & tamen primi
i Anti-Trinitariorum patroni ac propugnatores
limirum, vt obseruat GE. ASHWELL, de *Socin. p.*
re soliti sunt huius sectæ antesignani, quum pri-
sunt, & numero pauciores essent, quasi sui do-
uderet, aut saltem ex impendentis periculi me-
adserere non auderent. Ita mendaces depre-
minus in se, quam in Deum & veritatem; nec
s sunt ob hæresin, quam ob hypocrisin.„
ntia in extremis supplicijs, cum *gaudio* plerum-
um erga Deum actionibus coniuncta. At hæc
nos plerumque valde destituit. In ipsis Sociniſ-
is prima Anti-Trinitariorum turba inquisitio-
ersa fuit. *Erat*, inquit LVBIENIECIVS *p. 39.* ex
ate Abbas quidam, BVCALI dictus, qui arcanis
& studiis euulgatis, in præsentissimo cum ver-
ne salutis, vna cum aliis XL. viris *fuga se eripuit*,
s quæsiuit & inuenit salutem. De IAC. PALAE-
. Dauidis assecla & defensore, idem LVBIENIE-
f. Pol. p. 200. narrat, quod cum Romæ ob dis-
ptis dogmatibus in carcerem coniectus fuerit,
(quis autem verorũ martyrũ id fecit?) euaserit.
nos denuo postulante Gregorio XIII ab impera-
ano captus & Romam missus fuit; vbi tetro car-
us, sententiæ suæ tenax, ad rogum damnatus est.
, horrore acerbissimæ mortis perculsus, *palino-*
nere professus, a rogo retrahitur. Tandem quum
ntiæ retinens videretur, denuo ad flammas da-
anda morte periit. MATTHAEVS GRIBALDVS, Iu-
atauinus, Arianismi veneno a GENTILE, quem
ospitem habuit, infectus, quum carceri a Ber-